
NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
25 G
23

1124

CONSTITVTIONES REVERENDISSIMI D. D. DOMINICI BOLLANI

Brixiæ Episcopi,

IN DIOECESANA SYNODO PROMVLGATAE Anno Domini M D LXXIIII. die IIII. Mensis Nouembris.

Adiectis ad extremum Edictis, quæ, ex earundem Constitutionum præscripto, certis per annum temporibus, sunt in Ecclesijs populo enuncianda.

Colleg. Rom. Ex legato

Societ. Iesu. cat. insc. Card. Tolet.








BRIXIAE APVD VINCENTIVM SABBIVM M. D. LXXV.

DOMINICVS
BOLLANVS
DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS
GRATIA, EPISCOPVS
BRIXIAE, &c.

VNIVERSO CLERO SVO BRIXIENSI
SALVTEM IN DOMINO.



RO Episcopalis nostri officij munere, vbi primum è sacro Tridentino Concilio ad pastoralem Ecclesiæ nostræ stationem redijmus, illud maximè spectauimus, vt quæcunque in eo grauiter, ac salutariter, Spiritu sancto auctore, decreta essent, ea in hac nostra ecclesia seruarentur quàm diligentissimè, tum ad Dei cultum, tum ad ecclesiasticę disciplinę augendę, conseruandęq; rationem. Quamobrem in Diœcesana proxima Synodo constitutiones aliquot vobis promulgauimus; in quibus amplectẽdis, communiq; omnium studio exequendis, Diuina

clementia deſiderium noſtrum ita proſecuta eſt, vt de veſtro in via Domini profectu non exiguas Deo gratias habendas exiſtimemus. A quo etiam vberiores de vobis in dies religionis, ac pietatis fructus ſperamus; ſi, quæ deinde tam ex tribus huius prouinciæ concilijs poſtea habitis, quàm ex peculiari, perpetuaq́; gregis fidei noſtræ commiſſi ſpeculatione, noſtræ huic Eccleſiæ vtiliora, & accommodatiora, docente experientia, ipſi vidimus, noua decretorum acceſſione ſtatuamus. Quare librum hunc, priores illas, & has poſteriores noſtras conſtitutiones continentem, in veſtrum, ac totius noſtri gregis commodum, & vtilitatem emittimus; Deum bonorum omnium auctorem aſſiduè rogantes, vt cordibus veſtris charitatis legem digito ſuo inſcribat; cuius vim intimo animi ſenſu complexi, non ſolum vobis ipſi ſitis lex, & norma benè viuendi; ſed alijs etiam, quibus prælucere debetis; pietatis, & virtutum omnium ea exempla præbeatis, vt & Dei Sanctiſſimum nomen, in cuius ſortem vocati eſtis, glorificetur; & populi, vobis in curam traditi, maiorem in dies progreſſionem faciant in via Domini. A quo ſanctarum virtutum incrementum, ſalutemq́; ſempiternam vobis ſine intermisſione totis pietatis noſtræ viſceribus precamur.

SVMMA CAPITA CONSTITVTIONVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.



Rerum autem singularum Index copiosior statim post constitutiones adijcitur.

SVMMA CAPITVM CONSTITVTIONVM, QVAE HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

Rerum autem singularum Index copiosissimus post constitutiones adijcitur.

IN NOMINE SANCTAE, ET INDIVIDVAE TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITVS SANCTI.



DE RESIDENTIA.



ECCLESIASTICAE *disciplinae, & restituendae, & tuendae ratio in eo primum posita est, vt, qui ecclesiastica beneficia obtinẽt, cum animarum cura coniuncta in ecclesijs, curae, fideiq; suae concreditis, ipsi resideant omnino, ac debito muneri nullo modo desint. Quod sacra Tri-* Trid. sess. 23.c. 1. de refor.

dentina Synodus ita probauit, ut ſine mortalis peccati reatu reſidentiam omitti non poſſe declarauerit. Quapropter illius ſynodi nos auctoritate antè omnia, ſub Diuini quoq; iudicij obteſtatione, in quo etiam leuia commiſſarum animarum detrimenta de paſtorum manibus requirentur, diligenter, quæ ſequuntur, ſeruanda decernimus, ac ſancimus.

QVISQVIS igitur in noſtra Diœceſi beneficium aliquod Eccleſiaſticum obtinet, cui animarum cura adiuncta eſt, in eo perſonaliter reſideat. Quod qui nō præſtiterit, præter mortale peccatum, quod incurrit, beneficij etiam fructus, pro abſentiæ ratione, ex eiuſdem Tridentini generalis, & Prouincialis item Concilij Mediolanenſis decretis, ſuos ſe non facere; nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poſſe; ſed in Eccleſiæ, à qua abfuerit, fabricam, aut pauperum illius loci eleemoſynam erogare planè debere meminerit. Quod ſi facere prætermiſerit, huius prætermiſſi officij partes Epiſcopus exequetur; ſin autē ille contumacius ſe geſſerit, cēſuris eccleſiaſticis in ipſum agetur, atq; eo etiā beneficio mulctabitur, ad eorundē conciliorū præſcriptum.

Trid. ibid. Mediol. 1. par. 2. c. de Reſid.

QVA

QVARE qui parochialis ecclesiæ curam habet, ab ea ne discedat, nisi discedendi causa Episcopo prius probata sit; & in scriptis concessa; quæ facultas ut à Vicario etiam foraneo concedi in suis regionibus possit, nō uetamus; sed ita tamen, ut triduum ea non excedat.

Si cui uerò tā repentina discessio aliquādo continget, ut facultas expectari ante discessum non possit, ita tunc discedat, ut statim ad ecclesiam suā reuertatur. Vel si reuerti statim ex necessaria, et urgenti causa non potest, eam Episcopo intra triduū omnino significet; neq; diutius, quā ab illo sibi cōcessum erit abesse possit.

Quamdiu autem aberit, sacerdotem aliquem ecclesiæ interim curandæ relinquat, qui sit ab eodem Episcopo sacramentis administrandis probatus; uel si probatus nondum erit, eiusmodi tamen sit, cui ad breue illud tempus eam curam Vicarij foranei iudicio, atq; consensu concredere possit. Nec absentiæ illæ, quacunq; ex causa ei concessæ, tam frequentes sint, ut bimestre tēpus intra annum excedant; nisi ex graui causa illud etiam tempus protrahendum Episcopus iudicarit, Vicario aliquo interim cōstituto, qui absentis munera perficiat, ut in cōcilio Trident. sancitū est. Trid. sess. 23. c. 1. de refor.

Ac licet ecclesiarum Rectores speramus negligentes nunquàm in re tam graui futuros; ne tamen fraudi locus ullus detur, Vicariorum foraneorum curam uel præcipuam esse uolumus, ut regionis suæ parochorum absentium tempus diligenter obseruent; illudq; cum aliàs intra annum, si res ita postularit, tum eo præsertim tempore Episcopo significent, cum ad Synodum Diæcesanam uenientes, de regionis suæ statu rationem eidem reddent.

Quòd si Parocho Diæcesano ad urbem Brixiam veniendum erit, & ibi pernoctandum, is vt Episcopum, vel eius vicarium adeat, hortamur vehementer; vt & ecclesiæ suæ statum ei exponat, &, si quæ sunt ab illo ad eiusdem ecclesiæ administrationem constituenda, præsens accipiat.

Trid. ibid.

Literæ cōgreg. Trid. Cōcil. 23. Iulij. 1575

I*ISDEM propositis pœnis, Tridentini Concilij auctoritate, quemadmodum sacra Cardinalium eiusdem Concilij interpretum Congregatio censuit, sancimus, ac decernimus, vt parochorum Coadiutores quilibet, exceptis ijs, qui ex beneficiorum coadiutorialium institutione seruire per alium possunt, in ecclesijs, quarum curæ adiuuandæ socij adiuncti sunt, ipsi etiam*

residant;

resideant; & in ijs aequè, ac ecclesiarum Rectores, gregi praesentes inuigilent; Missae sacrum, vt nostra Constitutione iussimus, saepe faciant; verbo Dei populum pascant; sacramenta ministrent; aliaq; officia ad procurandam animarum salutem pertinentia, praestent, personalis residentiae munere. Const. de uit. & hon. cler. §. oēs. secundo.

In quibus tamē omnibus eā semper rationē sequātur, quā illis ijdem ecclesiarū Rectores praescripserint.

QVAE DE *Residentia ecclesiarum Rectoribus, Adiutoribusq; praescripta sunt, eadē quoque à substitutis Parochis seruētur, poenis propositis, Episcopi arbitrio.*

PAROCHIALIS *ecclesiae Rector, qui ad animas curandas alium sacerdotem, cum Episcopi etiam cōsensu, socium sibi adiunxerit, nō eò se existimet residētiae lege solutum; sed in ecclesia sibi commissa resideat, eaq; munera, quibus illi interdictum nō erit, praestet.* Med. 3. tit. de Paroc. §. Parochus. primo.

DIVINVM *item Canonicarum horarum officium, ipsi per se, non per alios celebrent; quicunque statis illis horis interesse debent, in ecclesijs, ubi illud cani solet. Qui praestare hoc neglexerit, certis illis distributionibus personalis residentiae muneri attributis, vel per nos in posterū, ad Tridentini Concilij praescriptū, attribuēdis,* Trid. sess. 21. c. 3. de refor.

Trid. sess. 24. c. 12. de refor.

pro Canonicarũ horarum, quas prætermiserit, ratione, mulctabitur, ex Trident. eiusdem Concilij decreto.

Certis autem constitutis horis preces diuini officij recitent, canantue; Matutinas præsertim, vt verè Matutinæ sint, & appellentur. Quare summo mane solum eas dicant, ac nulla alia præterea hora; nisi in solemni die festo Corporis Domini, septemq; alijs proximè sequentibus diebus, quibus ecclesiæ Romanæ ritu, sub vesperum celebrari solent.

Nec verò alio loco illas de more pronuncient, quàm in choro; nisi vel per frigoris asperitatem, vel per aliã causam, alio loco dici licebit, Episcopi cõcessu.

QVIBVS in ecclesijs diebus Dominicis, alijsq; Ecclesiæ præcepto colendis, Missæ sacrum, Vesperarumq; officium de more cani solet, nullo modo prætermittatur. Cui quilibet illius ecclesiæ sacerdos, ac clericus, cotta indutus, piè, religioseq; intersit.

Cantus autem ita distincti, pijq; sint, vt & verba ab ijs, qui præsentes adsunt, facile percipi, & eorũ animi ad cælestium rerum meditationẽ excitari pòssint.

IISDEM præterea diebus Rectores ecclesiarum, vbi Vespertinum officium cani non solet, nec habent à

quibus

quibus ad canendum iuuentur, illud ita clara uoce recitent, vt a populo facilè audiatur.

Et vnum saltem clericũ Parochi semper habeãt, si ecclesiæ facultates id ferant, qui in ecclesiastica disciplina ita sit institutus, vt non solum in Diuinis his officijs illos iuuare, sed etiam sacro inseruire, pueros fidei rudimenta docere, ac cetera munera obire possit, quæ iure decreta sunt. De uit. & hon. cler. c. Vt quisque.

QVICVNQVE *beneficia ecclesiastica obtinent, curã animarum non habentia, quæ tamen iure, aut consuetudine residentiam requirunt, si contra, ac Canonum iura illis permittunt, ab eis absuerint, tum fructibus priuabuntur, tum alijs ab eodem generali Concilio constitutis pœnis mulctabuntur.* Tri. sess. 24. c. 12. de reformat.

QVI EPISCOPI *concessu discesserit; is mensis spatio, postquam ad suam ecclesiam redierit, eundem de reditu certiorem faciat. Alioqui perinde habebitur, ac si non legitimè absuisset.* Med. 2. tit. a Decr. 36

NVLLI *ad sacerdotalẽ ordinem assumpto, si amplius quã mensem vnũ à Diœcesis finibus absuturus est, discedere liceat, discessione prius Episcopo nõ significata.*

CVI *beneficium ecclesiasticum conferendum erit; is*

nullis

nullis nec artibus, nec ambitiosis precibus ad illud adipiscendum vtatur; sed sola morum probitate, rerumq; ecclesiasticarum doctrina fretus, speret eam collationẽ Deo gratiorem, sibiq; vtiliorem futuram, quam, omni rerum humanarum affectione deposita, Episcopus fecerit. Si quis verò iniqua, illicitaue aliqua ratione beneficium procurarit, sciat se pœnam daturum esse ad Canonicarum sanctionum, & Pij. V. Pont. Constitutionis, quæ est de Confidentijs, præscriptum.

Bul. Pij. V. cal. Iun. 1569.

Q*VONIAM verò beneficium ecclesiasticum non solum morum integritatem, sed iustam etiam, ex Ecclesiæ decretis, ætatem exigit, sine qua beneficij collatio sæpe nulla, & irrita est, vt in nostra de Ecclesia Cathedrali constitutione significamus; idcirco sciant, oportet, clerici, non posse quemquam beneficium aliquod, cum animarum cura coniunctum obtinere, nisi annum uigesimum quintum attigerit.*

Const. de eccl. cath. tit. de Cã. §. Neminẽ.

C. licet canon. de elect. in 6 & c. Cũ in cũctis. §. Inferiora. de elect.

Q*VI ECCLESIASTICO beneficio, curã animarũ habenti, præficietur, si præsens aderit, antequam præficiatur, si verò absens, aut illud in Romana curia obtinuerit, intra duos menses post adeptam possessionem, corã Episcopo, vel, eo impedito, corã eius Vicario, uel offi-*

officiali, orthodoxā fidē, ad formulā Pij. IIII. Pont. sanctione præscriptā, iureiurādo publicè profiteatur. Bul. Pij. iiij Id. Nouē. 1564.

Iuret etiam se in sanctæ sedis Apost. atque Episcopi, & eius successorum obedientia permansurum. Med. 3. tit. de Paroch. §. Quicunque. primo

Se in ecclesia, quā obtinuerit, residentem futurū,

Nihil, beneficij consequendi causa, contra Pij. V. Pont. constitutionem de Confidentijs egisse.

Bona, ac iura ecclesiæ sibi committendæ, vel commissæ, pro viribus defensurum, iuxta eam rationē, quā nos formulæ professionis fidei adscripsimus.

Præterea hac illi de Residentia constitutione perlecta, & illa item, quam de Vita, & honestate clericorum sancimus, alijs etiam, quæ pro beneficij ratione ad eum magis pertinere videbuntur; eas omnes bona fide, quantum in se erit, seruaturum esse spondeat.

SI VERO beneficium eiusmodi obtinuerit, cum quo animarum cura coniuncta sit, nec intra annum a die commissæ sibi administrationis, sacerdotij ordinem susceperit, intelligat, ex Canonicis constitutionibus, nulla ēt præmissa monitione, beneficio se priuatū esse. c. Licet ca non. & c. Cum in cū ctis. citatis.

CVI Tituli nomine ecclesia aliqua commissa est, ad quam gerendam idoneus iudicatus sit, ac probatus; is

aliam

aliam id generis capessere ne audeat; nisi seruata examinis formula, a Concilio Tridentino decreta, rursus Episcopi iudicio dignus habeatur, cui illa cōferatur. Nec prius examen illi hac in re suffragetur.

Trid. sess. 24. c. 18. de refor.

V*T BENEFICIORVM patronis præsentandi ius quod illis concessum est, minimè vetamus; ita illud eos monemus, vt neminē nobis præsentent, qui non sit ad beneficiū capessendū idoneus; sciātq; alioquin, esse illū a beneficij institutione reijciendū, Cōcilij Trid. iure.*

Trid. sess. 25. c. 9. de refor.

Atq; si beneficium curam habeat animarum annexam, idonei sacerdotis præsentationem vltra decimū diē patronus nō differat; ne proprio pastore ecclesia illa diutius careat; nisi longius fortè temporis spatiū ad eā præsentationē faciendam, ex causa iusta Episcopus concesserit, vt est in Tridentino Concilio sancitum.

Trid. sess. 24. c. 18. de refor.

Si verò beneficium non sit cum animarum cura coniunctum, tempus præsentandi illud omnino seruent, quod Canonū iure, & consuetudine receptum est, vt quod laici iuris est, quadrimestre, quod ecclesiastici, semestre tempus non excedat.

De Iur. Patr. in 6. c. Si laicus.

Quòd si etiam institutionis ius penes patronum, vel alium fortè aliquem sit, eam institutionem irri-

tam

tam, ac planè nullam futuram, ex eiusdem Concilij sanctione declaramus; nisi is, qui instituendus est, Episcopo, tanquam idoneus, præmisso examine, probetur. Trid. ibid.

SACERDOTES, *in parochialis ecclesiæ curam administrationem'ue substituti, eam ne deserant, nisi Episcopo prius ea re significata; neq; ad aliam transeant, nisi facultate ab eodem impetrata.*

CONCILII *Tridentini decreto, cum nemini liceat plura beneficia obtinere, quæ residentiam requirant, neque adeo simplicia, si simplex vnum ad vitam honestè sustentandam satis est; idcirco si quis beneficium huiusmodi aliquod obtinet, alterum cum illo obtinere nullo modo tentet. Alioquin sciat agendum esse iure contra eum ad prioris beneficij priuationem. Atq; adeò, si vtrumq; sit cum animarum cura coniunctum, primum statim Canonum iure vacare significamus.* Tri. sess. 24 c. 17. de reform. De præbẽ c. De multa. & De præben. in extra. Execrabilis.

QVI BENEFICIVM *ecclesiasticum alteri cedere voluerit, sciat eius cessioni locum non esse, nisi ijs conditionibus seruatis, quæ Pij. V. Pontif. sanctione præscribuntur; pœnis tum in eum, cui cessio fit, tum* Bul. Pij. v. Cal. Apr. 1568.

in Episcopum, cessioni eidem assentientem, grauiter ab eodem Pont. constitutis.

SACERDOS, *qui in ecclesia, proprio'ue aliquo altari Missæ sacrum faciendi onus habebit, is alterius ecclesiæ, aut altaris ministerium, nisi facultate ab Episcopo impetrata, ne suscipiat.*

ADVENTVS, *festiue diei celebritatem, aliò vocatus sacerdos, ne dominicis, festisq; diebus, qui ecclesiæ præcepto coluntur, ab ecclesia sua discedat, si solus ipse in ea erit, nisi peracto ibi primum Missæ sacrificio.*

Si verò ad eadem diuina officia, alijs etiam intra hebdomadam diebus, ei sæpius conueniendum est, illud semper videat, vt muneri suo in Missæ sacro faciendo alibi à nobis sibi præscripto, quantum fieri potest, satisfaciat.

Const. de uit. & hon. cleric. §. Oës. 2.

Si verò is animarum curam sustineat, ijs temporibus, quibus sacræ confessiones frequentius audiri solent, nullo modo discedat, nisi fortè statim rediturus; præsertim octo diebus, Domini Natalem, Dominicam Palmarum, Pentecosten, Beatæ Virginis Assumptionem, aut denique Iubileum

aliquod

aliquod praecedentibus.

ANIMARVM *curae praefecti, vel in domo habitent Parochiali, vel certè in ea, quae ecclesiae ministerijs, populoq; sit commoda; vt fidelibus in spirituali ope ferenda praestò esse possint. Alioquin poenis, Episcopi arbitrio, plectentur.*

NE ALIQVO *tempore fideles extra vrbem, vel oppida manentes, quorum portae, publicae custodiae causa, noctu clauduntur, illorum operam desiderent, à quibus ex parochialibus ecclesijs intra moenia positis sacramenta sumere debent; Sedis Apostolicae auctoritate, in hoc Episcopis delegata, iubemus, vt qui aliquam ex huiusmodi parochialibus ecclesijs obtinet, intra duos menses ab harum Constitutionum promulgatione, Episcopo eius statum ostendat, significet'ue; ut ex Generalis, Prouincialisq; Concilij decretis, vel ecclesiae commodiori eam Parochiae partem, quae extra moenia posita est, vnire, vel nouas Parochias, si ecclesiae facultates id ferant, constituere possit. Alioqui eum monitum esse volumus, detractam ex huiusmodi ecclesia fructuum portionem, illi esse ab Episcopo* Tri. seß. 21 c. 4. de ref. Med. 1. par. 2. De ijs quae ad sacram.

ſcopo adiudicandam, qui ad hoc munus ab eodem electus erit.

Q*VAE vero parochiæ ob populi multitudinem ſacerdotes plures ad miniſteria eccleſiaſtica obeunda deſiderant, eorundem decretorum auctoritate præcipimus, tot illis ab eccleſiarum Rectoribus adiutores adhiberi, quot Epiſcopo neceſſarij, & illius eccleſiæ prouentibus ſuſtentari poſſe videbuntur.*

Triden. & Med. primum. ibid.

Vtq; ijs etiam eccleſijs commodius prouideri poſſit, quæ extra vrbis mœnia poſitæ, uel ob ipſam populi multitudinem, vel locorum diſtantiam, uel impedimentum aliud à conſtitutis Paſtoribus adminiſtrari commodè non poſſunt, aut cum familiæ reperiuntur aliquæ, quæ certas non habent parochias; Vicarius foraneus, in cuius regione huiuſmodi parochiæ, vel familiæ fuerint, de illarum ſtatu quam primùm Epiſcopum certiorem faciat, ut illis ratione aliqua conſulere poſſit.

Q*VONIAM, quæ eccleſijs miniſteria, officia'ue debeantur, cognoſcere Epiſcopus nō poteſt, niſi primùm ex canonica earum tituli inſtitutione recognoſcat, quæ onera, munera'ue eiſdem adiuncta ſint; ideo edicimus,*

cimus, ac iubemus, tituli testimonium, Notarij publici manu obsignatum, nobis non per alios, sed per se ipsos, tribus post harum Constitutionum promulgationem mensibus afferre, exhibereque omnes, qui annis superioribus, dum visitationem obiremus, id non praestiterunt; quocunque vel Canonicatus, vel Clericatus, vel Simplicis, uel Vnionis etiam nomine beneficium obtinent; ut quae cuiq; beneficio munera debentur, cognoscere, eaq;, si interierint, restituere; vel, si nulla constituta sint, pro auctoritate in Prouinciali Concilio Episcopis tradita, certa adscribere singulis, aut celebrandi, aut aliarum functionum ecclesiasticarum munera possimus.

Med. primū. par. 2. tit. Cōmu. de Minist.

Alioquin praeter sacrilegij crimen, quod in rerum ecclesiasticarum vsurpatione committunt, transacto eo temporis spatio, ipsos dimidia unius anni fructuum parte priuandos, sique pertinaces diutius perstiterint, grauiore etiam poena mulctandos esse declaramus.

Quòd si quis ad id praestandum se astrictum non esse, uel legitimum impedimentum habere existimarit, quo minus se nobis sistat, hoc ipsum per procu-

rato-

ratorem saltem, sub eadem pœna, illo constituto tempore nobis demonstret.

Med. secũdum. tit. 3. decr. 1.

Quicunque item in posterum aliquod ex his beneficijs obtinuerit, eius titulum, licet non monitus, Episcopo intra mensem ostendat; alioquin eandem pœnam subiturus.

Trid. sess. 25 cap. 8. Med. 1. part. 2. tit. Quæ pert. ad bonorum. &c.

QVI PROVENTVS habent ecclesiasticos, meminerint ex Tridentino, Prouincialiq́ Concilio, non eò solum illos sibi subministrari; vt ea, quæ diximus, beneficij munera expleant; sed etiam ecclesiam, quòd ad oneris sui partes attinet, sartam, tectam, & ornamentis ad diuinum cultum necessarijs, omniq́ alia ecclesiastica supellectile instructam habeant.

Pauperum item cum aliorum omnium, tum maximè eorum, qui intra suæ ecclesiæ fines degunt, inopiam subleuent; ea solum portione contenti, quæ ad uitam honestè, & frugalıter sustẽtandã satis est.

Idq́ illis persuasum sit, nihil tã ualde ab ecclesiasticorum beneficiorũ institutione alienum esse, quàm si uel ad luxum, uel ad consanguineorũ etiam opes augẽdas, ea cõuertantur; nisi christiana charitas hoc postulet, ut eorundẽ egestati aliquãdo piè succurratur.

HIS

His decretis qui non paruerint, in iudicio contra eos iure agetur, ad nostræ sancitæ de foro iudiciali constitutionis præscriptam formulam. Const. de Jud. for.§. Cum in iudicium.

DE CVRA ANIMARVM.

PAROCHI, quò facilius oues proprias, vbi opus erit, internoscere poßint; librum habeant, in quo homines curæ suæ commissos per familias diligenter describant.

Quorum numero in dies etiam nascentium, uel in suas parochias habitatum venientium, & inde migrantium nomina addant.

Illos verò, qui sacræ communionis sumendæ ecclesiastica lege tenentur, ac diem præterea, quo quisq; è vita cesserit, eo ordine notent, quem in extrema huius libri parte præscribimus.

VIDEANT præterea, an è suæ parochiæ incolis aliqui sint, qui de Catholica fide non rectè sentiant;

An hæreticorum libros, aliaue scripta, sedis Apostolicæ auctoritate prohibita legant, aut teneant;

An aliàs suspectam de hæresi vitam agant;

Trid. sess. 25. c. 3. de refor.

An legitimè moniti, annum in excommunicatione permanserint.

Ac si quem huiusmodi fortè deprehenderint, quamprimũ ad Episcopum, uel hæreticæ prauitatis Inquisitorem deferant.

Med. secũdum. tit. 1. decr. 1.

Ceteros autem fideles decreti Prouincialis moneant, quo iubentur omnes, & singuli, quicquid à fide Catholica Romana alienum à quouis vel factum, uel dictum nouerint, decem, post quàm id notum habuerint, diebus, eidem Episcopo, aut Inquisitori denunciare.

DE DOGMATIBVS ecclesiæ, præsertim ab idiotis, nec publicè, nec priuatim, multoq; minus in cauponis, uel meritorijs hospitijs, disputari, quantum in se erit, permittant.

EDICTVM, quod de hæreticis, de hæresi'ue suspectis, de sanctæ Inquisitionis perturbatoribus, deq; librorum lectione, impreßione, & venditione, cum plerisq; alijs edictis, in extremam harum Constitutionum partem retulimus, quotannis, primò mensis Martij Dominico die, & eo item die, qui D. Andreæ sacer est, cum in ecclesia frequentior populus aderit

aderit, promulgent.

BIBLIORVM *libros, & eos, qui de rebus inter Catholicos, & hæreticos controuersis vulgari lingua editi sunt, ijs tantum concedant, quibus Episcopus, aut Inquisitor, de Parochi, aut Confessarij consilio, huiusmodi lectionem permittendam duxerint.*

Officio autem Beatæ Virginis vulgariter edito si quem vtentem cognouerint, illud ad Inquisitionis officium, vt Pij V. Pont. constitutione iussum est, deferendum mandent. Bul. Pij.v. Id. Marc. 1570.

Si quem libros publicè vendendos exponentem, vel intra Parochiæ suæ fines circumferentem viderint; illorum titulos ex improuiso cognoscant; atq; si quid ab Indice Tridentino alienũ deprehenderint, id statim vel Episcopo, vel Inquisitori denuncient.

A' LITERARVM *Magistris, aut etiã Doctoribus publicè, vel priuatim intra Parochiæ fines quamcunq; facultatem docentibus perquirant, an Episcopum primò adierint, eiq; se probarint, professione fidei ad præscriptam à Pio IIII. Pont. Max. formulam præstita.* Bul.Pij.iiij. id.Nouem. 1564.

Cuius probationis testimonium scriptum, & ob-

 signatum,

signatum sibi ostendi iubeant, propositis ijs pœnis, quæ & per nos contra illos & eiusdem Pont. constitutione decretæ, & Magistratuum secularium lege sancitæ, nostro Edicto significantur.

Id si facere recusarint, eos quàm primùm Episcopo denuncient.

Illud verò Edictum annis singulis primo mensis Octobris Dominico die, populo in ecclesia promulgēt.

Magistrorum præterea, Præceptorumue singulorum, quos intra parochiæ suæ fines eo docendi munere fungi animaduerterint, nomina, & cognomina Parochi vrbani ad Episcopum, diœcesani ad suum quisque Vicarium, intra octauum ab illo promulgato Edicto diem deferant. A quo Vicario post octauum hunc diem quàm primùm ad Episcopum mittantur.

I*psos quoq; Præceptores frequenter moneant, ne libros obscænos, quos Tridentinus Index, vnà cum libris de hæresi suspectis, tum generatim, tum speciatim prohibuit, discipulis interpretentur.*

Vt discipulos in fidei rudimentis, christianæq; religionis præceptis instituant.

Vt

Vt ijs tantum ad hanc rem libris utantur, quos Praeceptores ipsi & Episcopi iudicio probatos, & discipulorum ingenijs aptos intelligent.

Vt praeterea Dominicis, & alijs festis diebus praeter Missae sacrum, quod ecclesiastico praecepto audire debent, ad haec ipsa perdiscenda in ecclesiam discipulos vel ipsi deducant, vel deducendos curent; seduloq; in eam curam incumbant, ut quae didicerint, opere compleant.

Si quem uerò Magistrum, Praeceptorem'ue huic decreto non obtemperantem compererint, illius nomen Episcopo statim deferant.

SI QVOS *publicos blasphemos, usurarios, concubinarios, nefario scelere inquinatos, coniuges simul non habitantes, odia, & inimicitias inter se exercentes, sortilegijs, cantionibus, veneficijsq; operā dantes, aut quouis alio modo cum proximi offensione peccantes, vel etiam familiae suae piè educandae curam debitā minimè praestantes viderint; eos non modò publicis concionibus, quas sequenti Constitutione de Praedicatione ad populum haberi iubemus, satis monitos esse putent; sed qua poterunt sermonis charitate, seorsum*

corripiant; vel si hac ratione nihil se profecisse perspexerint, vnum, aut alterum secum prudentem virum ipsorum peccantium familiarem adhibeant. Sicq; modò animæ periculum, diuinæq; vltionis seueritatem obtestantes, modò Dei misericordiam proponentes, cum illis sedulò agant, vt ad cor reuertantur; nec tantum commissi peccati prauitatem agnoscant, ac doleant, sed etiam animum ad pietatis, ac religionis opera amplectenda inducant. Quòd si nulla ratione resipuerint, Vrbani Parochi Episcopum, Diœcesani suum quisq; Vicarium, consulant; qui de huiusmodi re Episcopum ipsum certiorem faciat, vt pœnis ecclesiasticis, si opus sit, animaduerti in eos poßit.

Quam corripiendi, & denunciandi rationem vt alij quoque fideles, in his præsertim grauioribus criminibus, sequantur, ipse, qua potest, orationis persuasione apud illos contendat.

EDICTVM, quod contra omnipotentis Dei, ac Beatæ Virginis, & Sanctorum nomina publicè blasphemantes, Lateranensis Concilij auctoritate emisimus, quotannis primo mensis Aprilis Dominico die frequenti

Lat. sess. 9. tit. de ref. curiæ.

quenti populo in ecclesia de more promulgent.

Vtq; fideles ad blasphemantes quoslibet Magistratibus denunciandos facilius inducantur, simul populis indicant decem annorum Indulgentiā, quam Leo. X. Pont. in eodem Lateranensi Concilio vnicuiq; toties concedit, quoties alicuius blasphemantis nomen detulerit. Later.ibid.

QVONIAM vsurarios, illicitosq; contractus ab huius ciuitatis, ac Diœcesis hominibus quàm maximè alienos esse optamus; idcirco quæcunq; Parochi in hoc genere illicita esse quoquo modo dubitabunt, quorum certam solutionē consequi ipsi priuatō studio non possunt, studeant ea ex sacræ Theologiæ, Iuris ue Canonici perito aliquo viro cognoscere, vel, quod expeditius erit, ac tutius, rem totam ad eam congregationem referant, quæ de id genus controuersijs haberi priuatim tum in vrbe, tum in diœcesi à constitutis Vicarijs foraneis solet. Qui eam in illis soluendis rationem inibunt, quam ipsis alibi præscripsimus.

Itaq; Parochi Edictum de huiusmodi contractibus à nobis sancitum, de scripto recitent, atque enuncient.

Illud

Illud prætere a admonentes hoc vsurariorum hominum genus vsque adeo disciplinæ ecclesiasticæ decretis esse detestabile, vt tum ipsi christiana sepultura iure priuentur, tum qui illos in sepulturam tradiderint, excommunicationis pœnam subeant.

C. fin. de usur. in 6. Clem. Eos q. De sep.

SI QVAS Publicas meretrices intra parochiæ suæ fines habitantes cognouerint, eas à turpi illo vitæ instituto ad saniorem mentem, qua poterunt verborum, & consiliorum ui, adhibitis etiam grauioribus eiusdem parochiæ viris, reuocare studeant; siq; resipuerint, illæ vt in sancto proposito iuuentur, omni studio curent.

Si verò vel proprijs suasionibus, vel seniorum etiam auctoritate id efficere non poterunt, Episcopum ea de re certiorem faciant; vt Magistratuum secularium auctoritate ad eas inde in locum publicum eijciendas vti possit.

Eandem curam ponant in cognoscendis concubinatibus cum aliorum omnium, tum eorum maximè, qui, cum vxores habeant, concubinas tamen domi retinere, & alere non verentur. Et quicquid in ea re vel ipsi viderint, vel ex alijs acceperint,

Epi-

Episcopo id statim significent; ut ea re ille cognita, & in concubinarios, & in ipsas etiam concubinas pœnis Tridentino Concilio seuere decretis agere poßit. Trid.sess.24 c.8. de refor. matr.

V*ETVS, ac pium ciuitatis huius institutum, Serenißimæ etiā Reipublicæ decreto nuper cōprobatum, quo Iudæis Brixiensi solo, ac domicilio, omnino interdictum est, totis in Christo uisceribus ualde commendamus. Quāobrem ut qui intra huius diœcesis fines, extra solum tamē Brixiense, cum aliqua publica potestate præsunt, idē faciant, eos uehemēter hortamur.*

Vt autem grauiores offensiones, quæ ex huiusmodi habitatione oriri solent, interea euitentur, sacrorū Canonū auctoritate, hæc seruanda decernimus.

Iudæi, ubi eos habitare permissum est, proprium seorsum à fidelibus, & loco ab ecclesia remoto, domicilium habeant.

Viri pileum, uel birretū crocei coloris, mulieres uelū aliquod coloris eiusdē in capite patens semper ferant. c. In nonnullis. de Iudæ.

Aßidua, uel familiaria cōmercia Christiani cum Iudæis non habeant; eos etiam medendi causa ad se non accersant; nec in Iudæorum domibus, uel apud eos quacunq; ex causa habitent, uel cibum capiant. 28. q.1. c. Nullus. & c. Omnes.

Ne

Ne quod ecclesiæ vsui addictum est, illis pignori hypothecæue detur, neque vllo alio præterea nomine.

Ne prædia item, aut domus ecclesiæ, piorum'ue locorum eisdem locentur.

Diebus festis negocia palàm Iudæi non agant.

Triduo proximo ante Pascha in publicum non prodeant.

c. In nonnullis. de Iudæ.

Nec verò quicquam palàm, aut occultè agant, obloquantur'ue, quod christianæ religioni contemptum, contumeliam'ue afferat.

Parochi, si quid contrà fieri, vel minus seruari animaduerterint, statim ad Episcopum deferant; vt Magistratus seculares ab eo moniti coercere, & ipsi illos pœnis debitis poßint.

DE CVRA PIORVM OPERVM.

PAROCHI egenos, & pauperes in suis parochijs commorantes sollicitè, ac diligenter peruestigent; præsertim orphanos, viduas, & puellas, quarum pudicitiæ & egestati periculum imminet;

mineb, eosq; item, qui vel ægrotant, vel mendicare erubescunt. Quorum tum animabus, tum corporibus, quocunq; possunt subsidij genere, piè studioseq; subueniant; ac si eorum grauior inopia deposcit, ad illam subleuandam, festis etiam diebus, à pia fidelium liberalitate aliquid in ecclesia colligendum curent, quod in eorum eleemosynam conferatur.

Conc. de Ref. 5. Qui prouectus.

Locupletes quoq; parochiæ incolas seorsum conueniant, quibus pauperum egestates proponăt, atque significent, in hoc eis diuitias à Deo esse tributas, vt pauperibus subueniant; quos victu necessario egentes, nisi pauerint, occidunt.

c. Pasce d. 86

VBI PAVPERVM indigentiæ subleuandæ certi quidam præfecti sunt viri, curent Parochi, vt parochiæ suæ egentes incolæ ab illis cognoscantur, atq; eleemosynis iuuentur; vbi verò nulli sunt communium eleemosynarum distributores, duos ibi, vel tres piæ mentis, ac vitæ probatæ viros, ex sua parochia deligendos studeant, qui eleemosynas ex alijs collectas, egentium necessitatibus subleuandis, prudenter, ac piè distribuant.

Med. secū. dum. tit 3. dec. 17.

Verùm Parochi non tantum verbis, & crebris

adhortationibus; sed, quod maximam uim ad persuadendum habet, suo etiam exemplo ad huiusmodi charitatis opera exercenda, vt nostra de Residentia constitutione, Tridentini, Prouincialisq; Concilij auctoritate monentur, populum excitent; largè, & hilariter pro redituum, & facultatum suarum ratione hospitalitatem exercentes, & eleemosynam præ ceteris in egenos conferentes.

Const. de Ref. §. Qui prouentus.

V*ITAM* præterea, moresq; mendicorum accuratè cognoscant; dentq; operam, vt saltem paschæ tempore sancta confessione expiati, sacram communionem percipiant, alijsq; Christianæ religionis institutionibus informentur.

P*AROCHI*, vbi primùm legati ecclesiæ, pioue loco relicti notitiam habuerint, illud Episcopo significent; vt in Cancellariæ Episcopalis codicem, eius rei nomine confectum, referatur.

Et quod de hac ipsa piorum legatorum denunciatione Notarijs à Prouinciali Concilio præscribitur, publicè id quotannis eodem illo Edicto enuncient, quod est de ecclesiarum, & piorum locorum bonis.

Med. secũdum. tit. 3. dec. 17.

MO-

MONEANT cuiusuis sodalitij, pij'ue loci homines, qui intra suæ Parochiæ fines habitant, vt, quod de legatis pijs Edicto præscribimus, illius sodalitij, loci'ue pij, cui adscripti sunt, institutionem, eiusdemq́ instituendi causam, & finem, pia animi cogitatione sæpe complexi, annuos illius prouentus bona fide, vereq́ egentibus distribuant; sanctisq́ charitatis officijs, & operibus se se ita exerceant, vt reliqui quoque laici, eorum exemplo, ad piam religiosamq́ viuendi rationem inflammentur.

Si verò in ijs aliquid animaduerterint, quod vel morum, vel rectæ bonorum administrationis, distributionisq́ præscriptæ emendationem, reformationem'ue requirat; id quamprimùm Episcopo denuncient; vt, quod ab illis minus rectè aut actum, aut administratum erit, id ab ipso corrigatur, atque emendetur, pro iure visitationis, auctoritateq́ Tridentino decreto concessa. Trid. sess. 22. c. 8. & 9.

IN IIS autem locis, quæ ad pecuniam mutuo dandam, sub Montis pietatis, vel huiusmodi alio nomine, erecta sunt; nihil omnino, vt à Prouinciali etiam Concilio declaratum est, exigere eos permit- Med. 2. tit. 3. decre. 21.

 tant,

tant, qui apud Montes ipsos pecuniam deponunt, uel mutuo dant.

Med. 1. par. 3. tit. de pio loc. admin.

Neque vero à Montibus, præter sortem, quicquam exigi patiantur; nisi cùm pro ministris, alijsq; necessarijs sumptibus Summus Pont. aliquid exigendum iudicarit.

Illudq; diligenter videant, ne piorum locorum administratores, uel per se, vel per interpositam personam, eorum bonorũ aliqua ipsi emant, aut emphyteosis, seu locationis nomine conducant.

In ijs vero locis, quæ ad mutuandum non sunt instituta, pecuniam alijs mutuo ne dent, aut, quod peius est, ipsi accipiant; significantes omnibus grauem culpam, quæ in ea re admittitur; & in primis locorum administratoribus, si huic rei consenserint.

Semper autem Episcopum de his Parochi admoneant; vt qui parum fideliter loca huiusmodi administrasse deprehendentur, ab administratione illa, adhibita, si opus erit, Magistratuum secularium auctoritate, amoueri possint.

Med. 2. tit. 3. decre. 21.

Et Edictum de Ecclesiarum, piorumq; locorum bonis, à nobis emissum, singulis annis primo mensis

Ianuarij Dominico die, populo in ecclesiam congregato euulgent.

CVM A SANCTISSIMO *Domino nostro Gregorio XIII. tam vberes Indulgentiæ Mediolanensis Prouinciæ Disciplinatorum, pœnitentiumq; societatibus concedantur, quæ ad constitutionum Mediolanensium formulam institutæ sunt; ut dono hoc spirituali huius quoq; diœcesis societates fruantur, moneant Parochi earum societatum Confratres, quæ in suis Parochijs iam erectæ sunt, uel in posterum erigentur, ut eam in suo quique instituto orandi, se se flagellandi, aliaq; pœnitentiæ, & pietatis officia exercendi rationem sequantur, quam nos ad præscriptum illius formulæ conformatam probabimus.* Bul. Gregor. XIII. 12. Deceb. 1572.

Ideoq; & has Indulgentias vulgari lingua singulis annis primo mensis Ianij Dominica die, promulgari Edicto nostro iubemus.

EOS item ne *sacram Communionem, quam semel in mense sumere, ne ue solemnes processiones, quas in Vrbe vespertino tempore, in diœcesi interdiu, obire simul omnes frequenter solent, statis tem-*

temporibus deserant, pijs hortationibus moneant; ut eo exemplo reliquus populus ad huiusmodi religionis, & pietatis opera amplectenda magis excitetur.

Bul. Greg. XIII. 12. Decẽ. 1572.

Eisq́ significent, quoties uel Eucharistiæ sacramentum sument, vel processionem prosequentur, quadraginta etiam dierum Indulgentiam, à nobis illis concessam.

DE PRAEDICATIONE.

Trid. seff. 5. ca. 2. & seff. 24. c. 4 de refor.

CUM DIEBUS Deo dicatis id in primis à fidelibus ecclesia deposcat; vt omnes in templum Dei ad Diuinum verbum audiendum conueniant; quibuscunq́ parochialium ecclesiarum Præfectis, ad Tridentini Concilij præscriptum, iubemus, ut diebus saltem Dominicis, alijs que festis solemnibus Euangelium, monitáq́ ad animarum salutem pertinentia, populo quisque suo, qua poterunt sermonis breuitate, ac facilitate declarent.

Et Homiliarium, librosq́ alios ad hanc rem idoneos habeant.

Iis

Iis verò festis diebus, in quibus aliquod à nostris Edictis erit ab illis enunciandum, fecisse se satis existiment, si nullo præterea sermone usi, eiusdem Edicti fructum, atque utilitatem pia, & graui cohortatione commendarint; ad eiusq́ obseruationem populum, uel per se ipsi, uel per Concionatorem, si quem tunc in suis Ecclesijs habebunt, incitarint.

T EMPORE *autem Quadragesimæ, & Aduentus Domini, alij Concionatores, Episcopi testimonio probati; ubi laudabilis extat consuetudo, eorum sumptibus, qui conducere illos debent, uel solent, omnino adhibeantur.*

Ubi autem hæc consuetudo non fuit hactenus recepta, Parochos omnes illud vehementer in Domino hortamur, ut eam in suas etiam Ecclesias inducant, inita ratione aliqua cum populo suo, qua tum suis, tum populi ipsius expensis commodè id fieri poßit.

Tic. de ser. per totum. & Trid. sess. 25 decreto de delectu. & Bul. Pij. v. sexto. cal. Apr. 1566. & Med. tertium. tit. de sest. dier. saluu.

N EMINEM *Parochi, etiam Regularem, vel in aliena, vel in sui ordinis ecclesia, intra Parochiæ fines posita, concionari patiantur, nisi, ut nostra de Regularibus constitutione illos monemus, legitimam,*

Const. de Regul. §. Quoniã.

uel ab Episcopo, uel à suo superiore, cum Episcopi benedictione, concessam facultatem ostenderit.

IN CONCIONANDO *hæc quasi præcipua quædã capita ad fideles christiana religione informandos, tum Parochis, tum Concionatoribus proposita esse uolumus.*

Tit. de fer. per totum. & Trid. ses. 25. decreto de delectu. & Bul. Pij. v sexto. cal. Apr. 1566. & Med. tertium. tit. de fest. dier. cultu.

DIES *festos, qui uel ecclesiæ præcepto, uel publico uoto, uel probata consuetudine seruantur, ex sacrorum Canonum iure, atque Summorum Pont. constitutionibus populum sæpe doceant, ea religione esse colendos, ut sine graui culpa eorum obseruatio prætermitti minimè possit; cum ij potißimum ad maxima Dei in nos beneficia recolenda, summasq́; laudes ei persoluendas, ac debitum sanctis honorem tribuendum instituti sint. Sicq́; ostendant indignißimum esse sacris illis diebus non modò à nefarijs operibus, illicitisq́; negocijs non abstinere, uerum etiam religionis, ac pietatis opera omni diligentia non præstare.*

VT AVTEM *ea omnia sigillatim cognoscantur, quæ sacris diebus, tanquam à diuino cultu aliena, ab omnibus euitari, quæ ue ad debitum Deo cultum per-*

soluendum

soluendum fieri debent; ex Edicto nostro illa Parochi petant: quod de eorum obseruatione pœnarum non solum nostrarum, sed etiam quæ laicorum Principum legibus statuuntur, comminatione adiecta, emisimus.

Quare eam etiam ob causam illud quolibet anno, primo scilicet mensis Iulij Dominico die, cum maior in ecclesia aderit populi frequentia, promulgare non omittant; & qua poterunt diligentia, curent, ut singulæ ipsius Edicti partes ab omnibus seruentur.

Quòd si aliquos minus obtemperantes viderint, illorum nomina ad Episcopum secretò deferant; duorum insuper, uel trium testium nominibus adscriptis; ut pro auctoritate sibi à Pio V. Pont. tradita, quibus pœnis æquum iudicarit, illos afficiat; ne, si in ea cura parum sollicitus fuerit, & cultum diuinum negligere videatur, & alienorum peccatorum particeps efficiatur. In Bulla eadem.

D*EPRAVATAM illam peccandi consuetudinem, cum multorum offensione coniunctam, qua populus, eo præcipue die, qui alicui Sancto ecclesiæ patrono di-* Mediol. 3. tit. de fest. dierũ cul. §. Episcopus.

catus est, choreis, comessationibus, alijsq́; obscœnis oblectamentis incumbere solet, vehementer detestentur.

Dieq́; Dominico festum ipsum proximè praecedente, illius sancti vitam ex probato aliquo scriptore desumptam, omnibus audientibus referant; vt intelligant fideles, quanta animi pietate eius memoriam colere debeant; & hac ratione ad eum imitandum excitentur.

Bul. eadẽ. Tri.sess.22 decre. de obseruandis &c. & sess.24.c.4.

O*MNES Dominicis, alijsq́; solemnibus anni festis ad suam Parochialem ecclesiam accedere moneant: vt ibi Missae sacrificio intersint, & verbum Dei ibidem, si commodè fieri possit, audiant; vbi etiam intelligant qui dies festi (si qui in hebdomadã inciderint) sint colendi; quae vigiliae seruandae; quae supplicationes, & processiones; quae item Indulgentiae nonnunquam indicantur; quae praeterea sponsorum denunciationes fiant, quaeue alia Episcopi iussu enuncientur.*

Haec Parochi, cum populo, pro eo quo debent munere, significabunt, eorum quoque vim, & rationem exponant.

PRAE-

PRAETEREA, ubi id commode fieri potest fideles etiam hortentur, ne ante ab ecclesia discedant, quàm ter Dominicam orationem, ac salutationem Angelicam, suppliciter pro his omnibus dicant;

Pro Pontifice Maximo;

Pro suo Episcopo;

Pro reliquis animarum Pastoribus;

Pro Principibus, ac Magistratibus, ut tales sint, quales esse oportet, qui ceteris præsunt;

Pro bonis, ac pijs, ut quotidie maiores progressus in uia Domini faciant;

Pro benefactoribus;

Pro persequentibus, & calumniantibus, ut illis Deus peccata dimittat, nosq; ab eorum insidijs liberet;

Pro infidelibus, ut eis fidei donum conferatur;

Pro Iudæis, ut lumen ueritatis accipiant;

Pro Defunctis, tum omnibus, tum ijs præsertim, qui in ea ecclesia sepulti sunt, ut ab igne Purgatorij liberentur.

IN MAIORIBVS etiam anni solemnitatibus, quibus Diuina officia, ex ecclesiæ instituto, solemni ritu celebrantur, Parochi omnes pridie festi

diei populum campanæ signis colendæ, meditandæq; celebritatis admoneant.

Nec minori studio sancta eorum mysteria ex eo præcipuè libro, qui Rationale diuinorum officiorum inscribitur, populo declarent; vt ad ea veneranda, atque ad cœlestia meditanda facilius inducatur.

In Const. de uita, & hon. cler. §. Omnes.

Hunc verò librum, præter alios, quos nostra de Vita, & honestate clericorum Constitutione notauimus; sacerdotes omnes frequenter in manibus habeant; vt cum ad quælibet diuina officia celebranda accesserint, sedulò perscrutantes, quæ sancta ecclesia diuino afflata spiritu, statis quibusdam cærimonijs instituit, ea maiore cum pietate persoluant.

CIRCVLATORVM, histrionum, aliorumq; huiusmodi hominum vitæ institutum; Christiano homine minus dignum, & bonis moribus perniciosum, acri sæpe oratione, & publicè, & priuatim insectentur; ab eorumq; vanis spectaculis fidelium animos auertere studeant.

Quòd si ex hoc hominum genere aliquis ita etiā impudens fuerit, vt ante fores, vel in ecclesiæ pla-

tea artem suam exercere non erubescat, nullo modo consistere illum eo loco permittat; ne illis illecebris à rerum diuinarum meditatione populus diuertatur; vocato etiam ad id, si opus erit, parochiæ suæ incolarum auxilio; vel certe, si id impetrare minimè potuerit, Episcopo rem statim significet; vt quid sibi faciendum sit, ex illo accipiat.

PATRES, *matresq́ familias crebris sermonibus moneant, vt familiam suam religiosè instituant.*

Ac si qui filios literis erudiri cupiunt, eos ab ijs præceptoribus instituendos curent, qui non modò literarum cognitionem, sed etiam rectam viuendi disciplinam tradant.

Quàm grauissimè autem hortentur illos parentes, qui in pagis habitant; vt filios, aut famulos non pascendis armentis, vel alijs rei familiaris ministerijs, diebus festis occupent, sed ecclesiam eos adire; atque Missæ sacrum audire; & iubeant; &, si opus sit, compellant.

EOSDEM *etiam frequenter moneant, vt illud orandi institutum, quod est a nobis paucis antè annis in nostram diœcesim introductum, & communi omnium*

nium consuetudine receptum, amplectantur; vt quolibet scilicet die cum sua quique familia, audito campanæ signo; quod aduentante nocte ab omnibus Parochis tàm Vrbanis, quàm diœcesanis per quartam horæ partem quibusdam ictibus dandum esse præcipimus, in aliquam suarum ædium partem ad preces Deo fundendas conueniant.

Quod ut in hominum animis firmius resideat, studioque maiore seruetur; cùm aliàs sæpe intra annum eam orandi rationem, cum Indulgentijs à Sanctissimo Domino. N. Gregorio XIII. concessis, nostro edicto comprehensam, per summa capita Parochi explicent; tum præcipuè Septuagesimæ Dominico die hæc eadem de scripto publicè, cum frequentior aderit populus, enuncient, atque euulgent.

Bul. Gregor. XIII. die. 23. Oct. 1572.

Iidem familiarum Præfecti suo etiam exemplo familiares suos doceant, vt, cum mane cubitu surgunt, & vesperi cubitum eunt, signo sanctæ crucis se muniant, ac saltem orationem Dominicam, salutationem Angelicam, atque Apostolorum Symbolum recitent, Deum precantes, vt illo die puri ab omni peccati labe seruentur; &

gratias

gratias illi agant, quòd ab eius misericordia, in singula momenta, innumerabilia beneficia accipiant.

E AM consuetudinem frequenti sermone detestentur, qua puellæ nubiles vix unquam, viduæ verò, nisi certo post viri mortem transacto tempore, Missæ sacro interesse non solent. Doceantq́, quàm sit hic deprauatus vsus ab ecclesiasticis institutis alienus. Med. 3. tit. de Fest. dier. cul. §. Festis.

O MNE præterea studiũ in eo ponant, ut Septuagesimæ, Sexagesimæ, ac Quinquagesimæ tẽpore, quo sancta ecclesia Diuinorũ officiorũ ritu, indumentis, aliarũq́ rerum lugubri apparatu fideliũ mẽtes ad pœnitentiã excitat, atq; tot ante diebus ad Redẽptoris nostri passionẽ recolendã præparat, nullis illi profanis spectaculis, scenicis ludis, aut alijs inanibus oblectamẽtis, quæ à Christiana religione abhorrẽt, detineãtur; sed quibusdã propositis pietatis officijs, piè, sanctèq́ exerceãtur.

In primis grauẽ in illud adhortationẽ adhibẽtes, ut oẽs sacramẽto pœnitẽtiæ aĩas eluẽtes, ipsã quoq; sacrã Eucharistiã illo Dominico Quinquagesimæ die suscipiãt; sicq́ Indulgentiã plenariã, quæ fidelibus illud orationis vespertinæ institutũ seruantibus ab eodem summo Pont. eo die conceditur, consequi poßint.

IEIV-

Tri. sess. 25. decre. de del. cib.

IEIVNIA, quæ ad coercendã carnẽ sunt ab ecclesia instituta, magna itidẽ diligentia denuncient; doceantq́ oẽs, ad ea seruãda ipsius ecclesiæ lege teneri, singulis .s. Quadragesimæ diebus, exceptis Dominicis; qui Quadraginta dies, quasi totius anni decima pro fideliũ salute Deo persoluuntur; quatuor itẽ statis anni tẽporibus, ac ceteris vigiliarũ diebus in Calendario notatis; Quibus oĩbus diebus non nisi semel, nec ante meridiẽ, cibus sumẽdus ẽ, nisi modicũ forte, et perexiguũ ientaculum ad vesperũ sumatur. Ciborum verò delectus is habeatur, vt in Quadragesima nõ à carne solũ, sed ab ijs etiã, quæ à carne originẽ trahũt, ut ouis, lacte, caseo, butyro, et id genus alijs omnes abstineãt. Alijs uerò intra annũ tẽporibus etsi nõ uetamus uesci lacticinijs eos, apud quos hæc consuetudo iã recepta ẽ; ubi uerò ab his etiã abstinendi probata, atq́ laudabilis consuetudo seruatur, ea retineatur omnino.

A ieiunijs autem illi tantum excipiuntur, quos vrgens necessitas, vel imbecilla ætas excusat, uel qui morbo aliquo, aut alia iusta causa impediuntur. Quæ tamen legitima censeri non debet, nisi Medici iudicio, & proprij Parochi auctoritate probata sit.

Ideoq́

Ideoque Edictum de obseruanda Quadragesima, alijsq; ieiuniorum diebus quotannis Dominico die ipsius Quadragesimae initium praecedente, in ecclesia praenuncient, & grauioribus verbis, Esaiaeq; in primis testimonio ostendant, ea esse vera ieiunia, quibus fideles non modo uetitis cibis abstinent, atq; concessis temperant, sed etiam quibus in Dei laudibus, eleemosynis, alijsq; christianae religionis operibus se se occupantes, à peccatis ieiunant. Esa.c.58.

ILLVD saepe Parochi, Concionatoresq; omnes populo significent, non satis esse homini christiano nihil malè agere; sed etiam opus esse bonis operibus incumbere; aliàs sibi in Euangelio ignem aeternum similitudine arboris ficulneae denunciari; quae non ea ratione, quòd malos fructus faciat, in ignem mittitur, sed quia non bonos facit. Et alio loco Gehennae aeternae condemnari, non qui mala egerint solùm, sed etiam qui misericordiae opera deseruerint, dicente Domino; Ite maledicti in ignem aeternum; quia esuriui, & non dedistis mihi manducare; & reliqua. Hac enim ratione populum tum ad opera charitatis amplectēda, tum ad pia loca Matt. 21. Matt. 25.

G ad-

adiuuanda, ceteraq; peragenda, quæ ad Dei honorem, & proximi bonum pertinent, vehementius inflammabunt.

CREBRIS *sermonibus ad frequentem peccatorum confeßionem, atque ad sacram communionem percipiendam fideles hortentur. Quam si non sæpius, saltem maioribus anni solemnitatibus, Natiuitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis Beatæ Virginis sumant. Sunt enim sacramenta animarum nostrarum saluberrima medicamenta.*

Tri.seß. 13 c.8. & seß. 22. c. 6. & seß. 23. c. 13 Catechis. Rom. de Euch. sacr.

Quare & ad ea multo frequentius suscipienda grauißimorum Patrum sententijs, Tridentini synodi auctoritate, & Catechismi Romani doctrina summo studio omnes inducant.

Quòd si quis cuiusuis ordinis Concionator contra huiusmodi pium institutum Patrum omnium testimonio maximè semper commendatum, aliquid directè, vel indirectè dicere ausus erit, eiusdem synodi auctoritate, tanquam scandali disseminator, à concionandi munere ab Episcopo amouebitur: nec ad illud, vt est à Prouinciali Concilio decretum,

Med. 3 .tit. de ijs, q̃ ad sacr. Euch. §. Ad saluberrimum.

ante

ante restituatur, quàm, vbi huiusmodi verba disseminarit, populo Episcopi iudicio satisfecerit.

DE CHRISTIANA INSTITVTIONE.

PAROCHI sedulo patres, matresq; familias moneant, vt filios, & filias, ac deniq; omnes, quos fidei suæ commissos habent, diebus festis, cùm à prandio constituta hora, campanæ signo monebuntur, in ecclesiam ad christianæ institutionis præcepta, fideiq; rudimenta perdiscenda conuenire curent.

Illisq; qui familiam suam tam necessaria institutione erudiri neglexerint, huiusce eos perniciosæ ignorantiæ culpam in se transferre, eiusq; exactam Deo rationem reddituros esse edicant.

Eos item, qui prouectioris ætatis sunt, ad eadem intelligenda inuitent, quæ ignorare christianus homo, sine graui animæ suæ discrimine minime potest.

HOS IGITVR in ecclesia congregatos, fidei rudimentis, è libelli præscripto iussu nostro nuper editi,

Trid. sess. 5. c. 2. & 24 c. 4. de ref.

ipsi, ad quos hæc cura, Concilij Tridentini decreto, præcipuè pertinet, instituendos curent; adhibita in primis eius sodalitatis Confratrum opera, qui in hoc docendi instituto piè sese exercent.

QVARE *si quando, etiam aliqui ex ijs confratribus, qui in urbe degunt, ad Parochos diœcesanos Episcopi auctoritate missi erunt, eorum docendi rationem libenter recipiant.*

Et huiusmodi sodalitatem in suis quoque parochijs, ex eorum regulis instituendam curent, ut hoc auxilio, toto anni tempore, in eo munere obeundo iuuentur.

Vbi verò in pagis admodum exiguis, tantus idoneorum hominum numerus non erit, qui sodalitatem integram constituere possit, duo saltem, vel tres ex incolis à Parochis eligantur, qui laboris huius partem suscipere possint.

VIDEANT *diligenter, ne ea docendi ratio unquam à Confratribus intermittatur; curentque, ut mutua inter eos charitas, morumq; disciplina semper conseruetur.*

Vt verò alij etiam ad tam pium opus, amplectentur

ctendum alacriores reddantur; tertio mensis Octobris Dominico die, Edictum ea de re à nobis conscriptum frequenti populo in ecclesia recitent; quo Indulgentiæ in primis continentur, quæ tum à Pio V. tum à sanctissimo Domino N. Gregorio XIII. ijs, qui pio huic institutionis christianæ studio vacāt, conceduntur; quoties vel confessi fuerint, vel sacram Eucharistiam sumpserint, uel suam in illo doctrinæ christianæ munere operam impenderint.

Bul. Pij. v. die. 6. oct. 1567. & Gre. XIII. die. 30. oct. 1572.

IN QVIBVS ecclesijs, præter Parochum, alij sacerdotes, vel clerici sunt, illi quoque in hac ipsa fidelium institutione suam cum Parocho operam præstent. Qua in re si quis eorum minus obediens erit, Episcopi arbitrio plectetur.

IN PVERORVM illa multitudine si qui eiusmodi sunt, qui per ætatē ad Pœnitentiæ, uel ad sanctissimæ Communionis sacramentum accedere possint; eos ipsi & cognoscant, & peculiari studio instituant.

De qua tota docendi ratione, deq; spirituali tam Confratrum, quàm puerorum progressu, mensibus saltem singulis qui in ciuitate sunt, Episcopum, qui in diœcesi Vicarium foraneum moneant.

EOS ITEM, qui hospitalibus, alijsq; pijs locis praesunt, vbi plures vel mares, vel foeminae curantur, seu aluntur, vehementer in Domino hortamur, ut hanc fidei christianae institutionem in haec pia loca inducant, existimantes parum Deo gratam futuram eam, quam medendis corporibus curam adhibent, nisi spirituali animarum saluti in primis prospiciatur.

DE ECCLESIIS.

ECCLESIA domus Dei est, in quā fideles ad Diuinas laudes persoluendas, & Sacramenta suscipienda conueniunt. Quare ecclesiarum Rectores omni diligentia, ac pietate studeant, vt quod saepissime proferunt, Dilexi decorem domus tuae, opere compleant.

Psal.25.

PRIMVM igitur eorum ecclesiae vndequaq; sartae, tectaeq; sint; atque à cunctis sordibus ita purgatae, vt nihil in eis conspiciatur, quod non religioso quodam nitore refulgeat.

SACRISTIAM decenter ornatam habeant.

Cuius

Cuius aditus laicorum conuentui interclusus, clericalis ordinis hominibus solis opportune pateat.

Ab ea item absint inania colloquia, cachinnationes, nugæ, ceteraq. id genus, ab eius loci sanctitate aliena.

Sint in ea sacræ vestes, ornamenta, libri & reliqua ecclesiastica instrumenta apte disposita, & cum dignitate, ac decore asseruata.

In ea paruum Altare, atq. labellum extructum sit; vt ad illud, sacerdotes ante, & post Missæ celebrationem orare, ad hoc vero, manus abluere possint.

A ALTARIA omni tempore decenter ornata conspiciantur.

Quæ eius altitudinis, & latitudinis sint, vt sacerdotes in eis commode celebrare possint.

Ac si dotata fuerint, curent ecclesiarum Præfecti, ne ex eorum bonis aliquid depereat; vtq. illis ipsis bonis à suis Rectoribus compositè illa ornentur.

Si vero dote careant, ea ab illis, ad quos pertinent, intra mensem a synodo promulgata, instaurandaornandaq. curent.

Quod

Quòd si moniti, obedientes non erunt, Altaria illa quamprimùm, consultò tamen ea de re Episcopo, tollenda studeant.

SACRAE imagines non fractæ, nec aliqua sorde obductæ, honesto decore pictæ, vel sculptæ, decentiq; loco habeantur.

Trid.ses.25 decr. de inuoc. &c. *Quæ autem in posterum adhibendæ erunt, nisi prius ab Episcopo, uel extra urbem à Vicarijs foraneis fuerint probatæ; nullo modo in ecclesia locentur.*

Aliæ imagines, quæ ita pictæ sunt, ut christianæ pietati repugnent, & brutorum præsertim animalium, quæ in ecclesiæ parietibus uoti causa pingi solent, omnino deleantur.

LINTEA, & pallia, quibus Altaria sternuntur, & ornantur, munda, candidaq; sint. Ideo Missæ sacrificio peracto, decenti aliqua tela operiantur.

CRUCES, candelabra, thuribula, urceoli, peluiculæ, atque alia sacra instrumenta, præsertim verò calices, corporalia, & purificatoria, munda, puraque sint.

Vestes itidem, lineaq; vestimenta non lacera, uel

vel immunda adhibeantur; eaque ratione purgentur, quam in Constitutione de Missarum celebratione praescribimus. In Const. de celeb. Miss. §. Vestes.

Nihil ex ijs, laicis hominibus ad profanum usum accommodetur.

Neque adeo pallia ipsa, vel alia indumenta, quae Altarium usui addicta sunt, ad ullius sedes in ecclesia ornandas, aut ad funera honestanda adhibeantur.

Quòd si horum aliquid, uel quiduis aliud ad diuinum cultum pertinens, ecclesijs etiam commendatis defuerit, sciant quicunque ecclesiarum Praefecti, fructuum ad illas pertinentium sequestrationem, Concilij Tridentini auctoritate, ab Episcopo factum iri, ut hac ratione ornatui ecclesiae necessario prouideatur. Trdi. sess. 21. c. 8. de refor.

SANCTORUM *reliquiae, intra decora vascula conditae, in sacristia cum dignitate, locoque tuto clausae seruentur.*

Nullo pacto ad quaestum, uel temerè, uel irreuerenter ostendantur.

Cum autem alicuius solemnitatis causa in Al-

H tari

tari exponendæ, uel in processionibus circunferendæ sunt, per clericum in sacris constitutum, luminibus accensis, deferantur.

Nouas, vel quæ proborum hominum testimonio ab Episcopo probatæ non sunt, nullus sacerdos fidelibus uenerandas proponat; ne piorum animi pietatis specie decepti, illis eam reuerentiam tribuant, quam veris sanctorum reliquijs, quæ, ut sacra Trid. synodus docet, viua Christi membra, ac spiritus sancti templum fuerunt, tribuere debent.

Trid. sess. 25. decr. de inuoc. &c.

C*VM ECCLESIA aliqua ornanda erit, nulla parietibus, uel Altaribus peristromata apponantur, quæ inhonestis, & indecoris figuris intuentium animos potius ad uanam oblectationem, quàm ad Dei cultum traducunt.*

Nec etiam paruulæ illæ puellarum statuæ adiungantur, quas Moniales inutili studio, ac nonnunquam indecoris ornamentis comunt, & ornant.

Med. 3. tit. de ijs, quæ ad Diuin. off. pert. §. Quo die.

Q*VOD Concilio Prouinciali statutum est, vt is dies, quo ecclesia Cathedralis, vel Collegiata, vel Parochialis consecrata est, singulis annis solemni ritu celebretur; id Parochi omnes studiosè seruent; cu-*

rentq;

rent'que, quo ad eius fieri potest, ne eo die, mane saltem, intra illius ecclesiæ fines, vbi Consecrationis anniuersarius dies agitur, seruile vllum opus exerceatur.

NON EST FERENDVM, vt in ecclesia, quæ domus orationis est, clamores, ac strepitus, alia'que huiusmodi scandalorum plena committantur. Quare præter alia, quæ nostro Edicto continentur, quod de ecclesiarum cultu annis singulis primo mensis Septembris Dominico die euulgandum mandamus, illud quoq; iubemus, ut conuentus profanos, ac multò magis, cuiusuis generis ludos, rerum quoq; uenalium mercatus ecclesiarū præfecti in suis ecclesijs, uel earū atrijs, vel cœmeterijs haberi nullo modo permittant. Trid. sess. 22. decr. de Obser. &c. Bul. Pij V. Cal. Apr. 1566.

Neminem præterea in earum foribus consistere; neminem cum armis hastatis, balistis, sclopettis, vel huiusmodi alijs instrumentis, vel cum volucribus, venaticis'ue canibus ingredi sinant.

Altaribus etiam, aut aquæ benedictæ, vel baptismi fontibus aliquem inniti non patiantur.

DEAMBVLATIONES per ecclesias, vanas confabulationes, mutua colloquia nullo modo ferant; Trid. ibid. Bul. eadē.

præsertim dum Missæ sacrificium fit, sacra concio habetur, ac Diuina officia celebrantur.

Illudq́ videant, vt mulieres, quo ad eius fieri potest, alium à viris separatum locum semper habeant; & quod adeo Prouinciali Concilio, è beati Apostoli Pauli monitu commendatum est; non nisi velato capite intersint.

Med. tertium. tit. de ijs, q pert. ad orn. §. Grauiss. 1. Cor. 11.

Mendicos item per eas, eleemosynæ causa, vagari ne permittant.

Quos verò Quæstuarios vulgus appellat, à Parochiæ etiam finibus, ut Tridentino Concilio cautum est, omnino expellant; exceptis Regularibus, qui Monasteriorum suorum nomine, extra ecclesiam tamen, suo iure eleemosynam petunt; & ijs item, qui alijs pijs locis, facultate ab Episcopo impetrata, quæ quotannis renouanda est, in hoc ipso munere inseruiunt.

Trid. sess. 21. c. 9. de reform.

STREPITVM *etiam, & fragorem, qui ad significandam illam in* IESV CHRISTI *paßione rerum omnium turbationem tribus hebdomadæ sanctæ diebus fieri ex ritu ecclesiæ solet, sciant ad Romani Breuiarij præscriptum, semel tantum post extremam Matutini officij orationem fieri debere.*

Ideoq́

Ideoq; curent, ut à populo semel is tantum, & religiosa pij, ac mœrentis animi meditatione fiat.

ECCLESIARVM *fores nocturno tempore nulli pateant.* Mediol. 1. par. 2. De eccl.

Sed lucescente tantum die aperiantur; & cum aduesperascit, claudantur.

Vigiliarumq; prætextu, alicui laico in eis pernoctare ne liceat; nisi nocte Natalis Christi Domini, cum Missæ sacrum celebratur.

CVM ALIQVIS *illatæ sibi violentiæ, uel iudicij criminalis causa, in aliquam ecclesiam, vel in alia loca sacra confugerit; tunc quilibet illius ecclesiæ, uel sacri loci Rector id Episcopo quamprimùm significet.*

Quod ipsum etiam faciet, quoties a Iudicibus secularibus, uel eorum ministris ecclesiæ immunitatem aliquo modo uiolari cognouerit; ut quid ea in re agendum sit, ab eo accipiat.

OCCISORVM *corpora in sepulchris, uel cæmiterijs condita, à criminalium iudiciorum ministris, nulla omnino de causa in locis sacris inspici permittat; sed ex illis aliò inspicienda transferantur.* Med. 1. ibidem.

NON

NON PATIANTVR præterea Parochi, vt ecclesiæ campanis, quæ ad diuini verbi prædicationem, & ad Diuina officia populo significanda adhiberi solent, ad suppliciorum spectacula homines cōuocentur.

SEPVLCHRA in ecclesijs iam extructa, à parietibus prominentia, nisi marmorea, aut ænea sint, constitutionē Pij V. Pont. decretumq; Prouincialis Concilij sequentes, ecclesiarum Præfectis iubemus, vt quæ hactenus sublata non sunt, intra trium mensium spatium, ab hac synodo promulgata, inde omninò auferantur; nec alia in futurum erigi, nec signa bellica in vlla ecclesiæ parte collocari permittant.

Bul. Pij.v. Cal. Apr. 1566. Med. primū. par. 2. tit. de sepul.

Quòd si ab aliquo impediti, obtinere id non poterunt, ad Episcopum confugiant.

Illud'que præterea curent, vt quæ humi posita sunt, cum eclesiarum pauimentis æquentur, atque opere fornicato ita aptentur, vt nullum fœtorem emittere poßint.

In posterum verò nulla in ecclesijs sepulchra, neq; alia ædificia, ne capellæ quidem, aut Altaria, vt à Concilio Prouinciali præscriptum est, absque Epi-

Med.3.tit. de ijs, quæ pert. ad orn.&c. §. Ne in.

Episcopi concessu fieri patiantur.

C*OEMETERIA*, *in quibus cadauera, ex antiquo ecclesiæ ritu, sepelienda sunt, munda, & à quibusuis impedimentis vacua seruent; atque muro, vel saltem ligneis parietibus, bene septa custodiri curent; ne loca sacra, in quibus christianorum corpora sepeliuntur, bestijs peruia sint, aut sordibus contaminentur.*

I*N SVPPLICATIONIBVS*, *processionibusq; obeundis, Parochi vrbani ita agant, vt à Parochiæ suæ clericis omnia seruentur, quæcunque sequenti de Cathedrali ecclesia Constitutione, eo de genere præscribimus, & decernimus.* Const. de eccl. Cath. tit. de Archipresb. §. Quoniã.

Qui verò extra vrbem animarum curam sustinent, vocatis etiam, ut Prouinciali Concilio declaratum est, Regularibus, vbi eorum Monasteria erunt, operam iisdem dent, ut in eis viri à mulieribus seiuncti, sublatis quibuscunq; colloquijs, piè orantes ordine incedant. Med. 3. tit. de ijs, quæ ad Diu. off. pert. §. Tridentini.

Cuiusuis ordinis clerici, qui supplicationibus his intererunt, talaribus vestibus, cottisque induti, crucem ab eorum aliquo prælatã prosequentes, Litanias, Psalmos, aliasq; preces, vt supplicationũ causa postu-

postulabit, summa cum pietate cantent.

COMESSATIONES, *ac compotationes omnes, quæ longioris itineris causa, in eas præsertim supplicationes, quæ mense Maio religiose inductæ sunt, Parochi omnino ab illis amouendas studeant.*

Quare, si alia ratione efficere id minime poterunt, illas eo usque tantum ducant, unde ad ecclesiam, congrua prandij hora, cum populo reuerti poßint.

Quem ut facilius ab huiusmodi abusu reuocent, ipsum de hac pia, & graui proceßionum institutione sedulò admoneant.

CETERA, *ad ritus, & cærimonias pertinentia, quæ & in supplicationibus, & in benedictionibus, statis temporibus adhiberi solent, è Rituali sacramentorum libro petant.*

ECCLESIAS *campestres, siue oratoria, quæ adeò derelicta, & collapsa reperiuntur, ut commodè instaurari, uel tutò custodiri non poßint, parochiarum Rectores, in quibus huiusmodi oratoria reperiuntur, per eos, ad quos pertinent, ad rationem à Tridentino Concilio præscriptam, aliò transferri studeant.*

Trid. sess. 21 c. 7. de ref.

Med. 1. par. 2. tit. de ec.

Altaria item, quæ extra ecclesiam, & quæ sub dio

dio neq; septa, neque munita sunt, aut sepiantur, si commodè fieri potest, aut tollantur.

Huiusmodi uerò sacrorum ædificiorum lapides, cæmentum, reliquamq; materiam in profanum ædificium, absq; Episcopi concessu conuerti ne permittant.

Eoq; concedente, illis ædificij partibus, quæ ad sordidum usum pertinent, nullo modo adhiberi sinant.

Oratoria autem, quæ diruenda non erunt, curam adhibeant, ut statim instaurentur.

Caueantq;, ne quid in eis profanum, siue ligna, siue grana, uina, paleæ, uel eius generis alia, ullo unquam tempore reponantur.

Altaria in eis decenter ornata sint; ceteraq; omnia ita munda conspiciantur, ut Ecclesiarum speciē præseferant.

Ante earum fores, nec nō ante sacella, quæ vulgo capitella uocantur, clathra lignea ita apponenda studeant, ut aditus omnes ad ea loca belluis obstruantur.

In posterum huiusmodi oratoria, nisi de Episcopi facultate, qui ea conuenienti dote constituenda cura-

bit, construi ne permittant; ne si dote careant, non sine magna indignitate, successu temporis deserantur.

B*ONORVM, ac iurium sibi commissi beneficij, unusquisq; Rector ita curam gerat, ut prudentem œconomum, ac patrem familias se in omnibus præstet.*

Aedes ecclesiasticas nullo modo labefactari sinat; labefactatas vero, quantum ad muneris sui partes attinet, omni diligentia cōmuniat, ac reficiat. Alioqui pro modo culpæ ab Episcopo ordinis sui functionibus ei ad tempus interdicetur.

B*ONA autem ecclesiastica dilapidantibus administratio interdicta esse intelligatur, donec per legitimum temporis spatium ad meliorem frugem reuersos esse constiterit.*

Med. primū. par. 2. tit. q pert. ad bonorum. &c.

I*NVENTARIVM, & quod uulgo designamentum appellant, bonorum mobilium, & immobilium, ac iurium omniū suæ quisq; ecclesiæ, uel Capellaniæ, aut Clericatus Rector, aut etiam Iurispatronatuum, qui à quadraginta annis citra, ad Tridentini Concilij præscriptum, ab Episcopo recognoscendi sunt, per publicum instrumentum intra sex menses, ab huius Diœcesanæ synodi promulgatione, sub pœnis Episco-*

Tri. sess. 25 c. 9. de ref.

pi arbitrio exigendis, omnino confectum habeat; in quo singula eorum bona, mobilia, & immobilia, iura & actiones distinctim, & coram duobus saltem probatis uiris, loci incolis, describantur: eiusq; exemplum manu Notarij subscriptum, intra idem tempus Episcopo exhibeat, in Archiuio Episcopali perpetuò asseruandum.

Quod ipsum successor quilibet intra primos sex mēses à die, quo beneficij possessionem adeptus fuerit, ijsdem pœnis propositis, omnino præstet.

E O D E M *temporis spatio instrumenta bonorum ecclesiasticorum, quorum nomine alicui ecclesiæ liuellū soluitur, à liuellarijs sibi renouanda procuret.*

Omniq; diligentia caueat, ne bona ab alijs possideantur, quàm ab ijs, qui liuella pendunt.

Qua in re si qua ei dubitatio acciderit, peritiores consulat; ne ecclesiæ iura, progrediente tempore, sua negligentia pereant.

Q V I C V N Q V E *ecclesiæ, uel altaris Rector aliquid ex ecclesiasticis bonis iniustè occupatum, uel alienatū cognouerit, in eoq; recuperando multum laboris, atque difficultatis ob suam inopiam, vel aduersario-*

rum potentiam senserit, ad Episcopum confugiat; ut Aduocatum aliquem ille sibi constituat, qui pietatis studio ad ea bona recuperanda eum adiuuet.

Tit. de rebus eccl. alien. uel nō. & Tri. ses.25.c.11 de refo. & Med.secūdum. tit.3.

ECCLESIASTICA *item bona alienare, permutare, quocunq; modo locare, seu in longius tempus, seu anticipatis solutionibus, seu cum obligatione expensas pro meliori facto prædio soluendi, non alia ratione quisquam audeat, quàm iure, uel probata consuetudine conceditur.*

Vtq; fraudis omnis suspicio tollatur, ipsi beneficij patrono, aut ei, cuius cessione illud possidetur, aut consanguinitate proxima coniunctis ea ne locentur.

Quicunq; non obedierit, præter pœnas à iure statutas, Episcopi arbitrio plectetur.

Med. secūdum. tit.2. decr. 22.& 3.tit. de ijs quæ pert. ad orn. §. Si quæ.

AEDES, *uel cuiusuis generis ædificia, ecclesiæ parietibus adiuncta, uel alias iniuriam aliquam eidem inferentia, nullo modo ecclesiæ Rector à laicis hominibus, quibus ius non est, construi permittat.*

Eas uerò, quæ sordido usui seruiunt, siue laicorum sint, siue clericorum, omnino in honestiorem usum conuerti nostra auctoritate iubeat.

Ac si in ipsis ecclesiarum parietibus fenestras

illæ

illæ habeant, è quibus in ecclesias prospici poßit, mandamus, ut duabus saltem post huius Synodi promulgationem mensibus obstruantur.

Cum ex Prouincialis Concilij decreto, excommunicationis pœnam ipso iure ij omnes subeant, qui in alicuius ecclesiastici hominis morte supellectilem, scripta, res've alias ad illius ecclesiam pertinentes, non solum furtim, aut per uim inuadunt, sed quouis etiam modo asportant; idcirco ne ij quoque, qui in bona hæreditaria ab eo relicta ius habent, hac excommunicationis pœna irretiantur; si cum hæreditarijs illa etiam bona euehant, quæ ad ecclesiam pertinent; eam curam Vicarijs foraneis esse volumus, vt cum in suis regionibus Rectorem ecclesiæ aliquem morti proximum, vel saltem cum primùm vita defunctum cognouerint, illius domum mox adeant, christianæ pietatis officia, vt alibi monemus, exhibituri; eadem'q; opera, si vita ille excesserit, Indicem conficiant bonorum omnium ab illo relictorum, adscitis ad eam rem duobus saltem eius loci incolis, bonæ existimationis viris; sub quorum tutela bona illa seruanda relinquant, donec Indice ad Episcopum misso,

Med.3 tit. de ijs, quæ ad bona ecclesiast. §. Quod prouinciali.

Const. de fun.& exe. §. Cum parochum.

ſo, aliud ab ipſo ſtatuatur.

Med.3.tit. de ijs, quæ ad bona eccle. &c. §. Epiſcopus.

Scripta verò beneficij quæcunque, ſeu inſtrumenta, quæ apud hæredes relicta ſunt, ut ſucceſſori gratis reddantur, & Prouincialis Concilij, & noſtra auctoritate iubeant.

Curent item, ut Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, ac Animarum libri à præmortuo Rectore iam ante iuſſu noſtro confecti, ſucceſſori itē Rectori ab ijſdem hæredibus quàm primū reddātur.

Trid. ſeſſ. 22. c. 11. de refor. & Med. tertium. ibidē

VT AVTEM alij etiam quicunq; bonorum, ſeu iurium eccleſiaſticorum vſurpatores, à tam graui ſcelere magis deterreantur, eccleſiarum Præfectis præcipimus, ut Edictū, quod ad Trid. Prouincialisq; Concilij decreta enuncianda, hac de re conſcripſimus, quotānis primo mēſis Ianuarij Dominico die, quod alibi iuſsimus, frequenti populo in eccleſia euulgent.

Med. 3. ibidem. §. Si quis.

In quo ipſis imprimis clericis, qui cuiusuis generis ſcripta ad eccleſias pertinentia celarint, graues pœnæ, eiuſdem Prouincialis Concilij auctoritate, indicuntur.

QVONIAM quæ pijs morientium voluntatibus legata ſunt, non minus ad curam Epiſcopalem, quàm

reliqua

reliqua ecclesiastica bona pertinent; illud edicimus, ut quæ ad certum vsum ab aliquo legata sunt, in alium quemlibet, etiam pium vsum, ex hæredum etiam consensu, sine Pontificis Max. aut Episcopi, in casibus illi iure concessis, facultate, nullo modo ab aliquo conuertantur. Mediol. 3. ibidem. §. Quæ.

Illud præterea ex eodem Concilio statuentes, vt quæ alicui priuato homini, vel sacerdotum congregationi, ea lege legata sunt, vt in pauperes distribuantur, in proprium vsum, paupertatis etiam nomine, minime conuertantur, nisi Episcopi facultas ad id accesserit. Med. 3. ibidem. §. Testatorum.

VT AVTEM Cleri causæ, ac iura communia communibus, ut par est, sententijs tractentur, atq; defendantur; quoties aliquid in hoc genere constituendum erit, consilium de eo Syndici, qui Sapiētes è clero vocantur, simul omnes capiant, tam ij, qui ex Vrbano, quàm qui ex Diœcesano Clero ad id muneris electi sunt; nihil'q; uel hi, nisi prius illis, uel illi, nisi prius his requisitis, agant. Quicquid secus ab altera parte actū erit, irritum omnino illud, ac nullum habeatur.

In conueniendo autem eam rationē seruabunt, quæ

quæ & facilior, & ad uitandas clericorum impensas commodior utriq; parti uisa fuerit.

CVM Indulgentiæ aliàs à Sancta Sede concessæ cum manuum adiutricum clausula, reuocatæ penitus à Pio V. Pont. sint; eæ in publicum ne proferantur; sed ut ad nos infra duos, ab harum constitutionum euulgatione menses deferantur; omnino præcipimus, atque mandamus.

DE ECCLESIA CATHEDRALI.

ECCLESIA nostra Cathedralis, Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis nomine Deo dicata, ut cunctarum ecclesiarum vrbis, & Diœcesis Brixiæ mater est, & ceteris ministrorum numero, & dignitatibus præstat; ita qui in ea Diuinis inseruiunt, doctrina, sanctitateq; ceteris prælucere debent.

Quamobrem cum omnes, tum eos maximè, qui in dignitate aliqua constituti ceteris præsunt, in Domino monemus, ut suum quisque munus diligenter præstare studeat; quò & reliqui inferioris ordinis

mini

ministri, eorum exemplo ad pietatem, religionemq́ colendam magis inflammentur; & ipsi diuinam illam execrationem euitent, Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. Iere. c. 48.

DE ARCHIDIACONO.

ARCHIDIACONVS, qui primum locum in ecclesia obtinet, veluti Episcopi oculus, omnia perlustret.

Studiose curet, ne quid in ea indecorè, vel præposterè fiat.

Singulos ministros de suis muneribus frequenter, & amanter moneat; atque in primis, vt Diuina officia in choro, cui is præfectus est, cum debita pietate celebrent.

Ac laudabiles ecclesiæ mores, & quæ de diuinis officijs, deq́ concione in ecclesia, seu lectione publica audienda, hac constitutione iubemus, accuratè seruent.

Quemcunq́ verò non obedientem cognouerit, pœnas, quas non obtemperantibus infra præscribimus,

mus, ab eo exigendas curet.

T*ABELLAS tres ab Episcopo cum Capituli consilio prius probatas, atque in Sacristia deinde patenti loco affixas, ab omnibus ecclesiæ ministris ad vnguem seruari studeat; vnam quidem Horis canonicis ad Calendarij præscriptum in choro persoluendis; alteram Defunctorum officijs, tum in choro, tũ priuatim ab unoquoque celebrandis; tertiam Missarum sacrificijs recte, atque ordine quotidie faciendis accommodatam.*

C*VM ID maxime deceat, vt qui beneficia ecclesiastica, cum iniuncto munere sacrifaciendi obtinent, calicibus, indumentis, & rebus alijs tanto ministerio necessarijs instructi sint; studeat, qua potest persuasione, vt Canonici, Mansionarij, Capellaniq; omnes perpetuò residentes, quorum Præbendis, siue Capellanijs, id muneris iniunctum est, Calices proprios, Missalia, Planetas, ceteraq; indumenta ad rem diuinam faciendam necessaria habeant.*

E*A VERO, & alia quæcunq; sacristiæ bona mobilia suæ, & Capituli tutelæ, ac fidei commissa, à Sacrista diligenter custodiri curet.*

Quare

Quare singulis annis unâ cum Massario canonico, quem Capitulum sacristiæ administrationi præficere solet, earum rerum mobilium Inuentarium conficiat.

Atque sexto saltem quoque mense eiusdem sacristiæ accepti, expensiq; libros cum eo recognoscat.

VT DIVINA *officia statis horis celebrentur, eidem Sacristæ modum ac tempus præscribat, quo unius, uel plurium campanarum ad ea celebranda, iuxta ecclesiæ consuetudinem, signa dentur.*

Sabbato autem sancto, Episcopi auctoritate, prouideat, ne ullus urbanæ ecclesiæ Rector, celebrandorum officiorum signum campanis det, nisi in ecclesia Cathedrali datum illud prius audierit.

CAMPANAE *signum, quod communis omnium orationis causa singulis diebus prima nocte quibusdã campanæ ictibus, per quartam horæ partem, ab omnibus Parochis dandum esse præcipimus, ipse quoque in ecclesia Cathedrali, & alijs parochialibus urbis ecclesijs, stata hora, pro temporis ratione, dari procuret.*

EIVSDEM *etiam cura sit, cum Episcopus solemni cærimonia Missæ sacrificium, aut uesperas in eccle-*

ſia celebrabit, vel alia Pontificalia munera præſtabit, illos, qui ſacris veſtibus induti ei inſeruire debent, ita opportunè præmonere, ut quilibet ad ſuas partes exequendas præſto eſſe poſſit.

Quòd ſi quem minus obtemperantem cognouerit, pœnis, quas infra in capite de Diuinis officijs proponimus, in eum animaduertendum curet.

Infra. tit. de diu. off. §. Cũ Miſſam.

C*VM SACRI ordines ab Epiſcopo publicè conferentur, eam ipſe in primis operam det, vt Dominico die, ſtata ſacrarum ordinationum tempora proximè antecedente, ſupplicationes tam in Cathedrali, quàm in ceteris vrbis eccleſijs religiosè, ac piè peragantur; ut diuina ope implorata, illi tantum ad tam ſanctum miniſterium aſſumantur, qui Dei eccleſiæ vtilem operam præſtituri ſint.*

Quare eorum, qui eccleſiaſticis ordinibus adſcribendi ſunt, vitam, mores, ac ſtudia ex eo Edicto accuratè inquirat, quod hac de cauſa in ſingulos annos ijs ipſis temporibus euulgandum iubemus.

Eorum deinde examinationi interſit.

 Tum

Tum illos examinatos, atque probatos Episcopo in ecclesia præsentet.

Curet item, vt in eo libro, quem Cancellarius ad hoc paratum habebit, fideliter nomina, patriæ, & tituli eorum, qui ordinibus initiantur, nec non ecclesiæ, quibus ad munera singuli sua obeunda adscripti sunt, notentur.

N*E VERO quispiam eorum, qui sacris ordinibus initiandi sunt, pœnas facile subeat, quæ Pij. II. Pont. constitutione in illos decretæ sunt, qui extra tempora à iure statuta, vel ante legitimam ætatem, uel absq; dimissorijs literis ad aliquem sacrum ordinem promoueri se fecerint; decretum illud in nostram de Sacramento Ordinis constitutionem relatum, pridie illius diei, quo sacræ ordinationes habendæ erunt, clericis initiandis, coram Episcopo congregatis, denunciet.* Bul. Pij. ij. 15. Calen. Decemb. 1461. Conft. de Sacra. ord. §. Si quis.

Vtq; eorum quilibet, iuxta ordines ab ipsis suscipiendos ea studiosè seruet, quæ nostris de Residentia, de Vita, & honestate Clericorum, ac de Celebratione Missarum constitutionibus præscripta sunt; eas eodem die ipsis audientibus recitet.

AD

Ad funus aliquod prosequendum, cùm Cathedralis ecclesiæ Capitulum uocabitur, curet, ut, quæ in exequiarum celebratione, Capite de funeribus seruanda decernimus, ab omnibus seruentur.

Quod ad Episcopi, & Canonicorum uita decedentium animas pijs precibus iuuandas pertinet, id ipse seruandum studeat.

Med. primũ. par. 2. tit. de fun. Episcopi.

Vt quo die uidelicet Episcopus defunctus erit, illius funus clerus uniuersus, tam Secularis, quàm Regularis solemni more prosequatur.

Missæ item sacrum, & à Canonicorum Capitulo simul, & priuatim à singulis tum urbis, tum diœcesis sacerdotibus pro ipsius anima fiat.

Med. primum. ibid.

Inq; annos singulos, dum eius succeßor superstes erit, Anniuersarium pro eodem, qua ratione in Prouinciali Concilio constitutum est, in Cathedrali ecclesia, Episcopatus expensis, celebretur.

De cuius morte Metropolitanum, et reliquos etiã comprouinciales Episcopos certiores faciendos quàm primùm curet; ut ipsi quoque Missæ sacrum solemni ritu pro eius anima faciant.

Preces item publicas per Parochos urbanos, & diœce-

diœcesanos, populo indicendas meminerit; vt & defuncti animam omnes Deo commendent, & successorem, ecclesiæ quàm maximè vtilem ab eodem implorent.

Pro Canonico autem vita decedente illud etiam efficiat, vt in ipso obitus die tum collegialiter ab omnibus, tum priuatim à singulis ecclesiæ Cathedralis sacerdotibus Missæ sacrificium offeratur. Mediol. 2. tit. 2. decr. 14.

ANNIVERSARIA, *quæ pro Episcopis defunctis solemni ritu à Capitulo; & Missæ, quæ à ceteris Diœcesis sacerdotibus priuatim postridie eius diei, quo fidelium omnium defunctorum commemoratio fit; nec non Anniuersaria, quæ pro mortuis Canonicis, alijsq; de Capitulo, die proximè sequenti persolui in Concilio Prouinciali iubentur; ea vt quotannis, qua decet pietate, persoluantur, studiosè agat.* Med. 3. tit. de ijs, quæ ad Diuina off. &c. §. Postridie.

Id quod in collegiatis etiam ecclesijs idem Concilium faciendum præcepit.

OB MVLTA, *maximaq; mysteria, quæ Episcopi consecratio continet, eam Felix IIII. Pont. solemniter celebrandam constituit. Cuius nos auctoritatem & Prouincialis Concilij decreta sequentes, statuimus,* Med. tertium ibidē §. Plena.

mus, vt quotannis Episcopi Consecrationis dies in Cathedrali solemni ritu celebretur.

Si verò festum aliquod in Consecrationis diem inciderit, cuius officium ex ecclesiæ instituto transferri non liceat, Consecrationis celebritatem in proximum, quo agi poßit, transferri iubemus.

DE ARCHIPRESBYTERO.

ARCHIPRESBYTER, qui proximus est Archidiacono, intra Cathedralis parochiæ fines, animarum curæ gerendæ munere adstrictus est. Quare omnia, quæ de sacramentorum administratione Parochis omnibus seruanda statuimus, ad se in primis ita pertinere intelligat, vt in his rebus ritè gerendis exemplo sit, quod reliqui Parochi sequantur.

IDONEVM Sacerdotem sumptibus suis ex antiqua consuetudine adhibeat, cuius ministerio in animarum cura iuuetur.

Quibus vt commodius prospicere poßit, iampridem Altare sanctæ Catherinæ in parochiali ecclesia Calui-

Caluisani locatũ, Archipresbyteratui in perpetuum cum suis prouentibus attribuimus.

In primis autem eum adiutorem moneat, ut sacramentis rite ministrandis, libro Rituali nuper edito ad præscriptum utatur. Atq; parochiæ suæ baptizatorum, confirmatorum, compatrum, matrimonio iunctorum, matrimoniiq; testium nomina, in quatuor distinctos libros referat, ut decretis nostris præscripta ratio est.

C H R I S M A T I S, *Infirmorũ, & Catechumenorum olea, quæ hebdomada sancta ab Episcopo quotannis consecrari solent, vasis decentibus, locoq; tuto asseruanda curet.*

Efficiatq;, ut, cum eodem tempore adiutor ipse, vel Sacrista, eius iussu, ceteris ecclesiis de more illa distribuet, non alia ratione alicui deferenda tradat, quàm sequenti de Sacramentis Constitutione iubemus. Const. de Sacram. §. Sacra.

Nomina item ecclesiarum, & eorum, qui ab illarum Rectoribus ad olea accipienda missi erunt, in libro eius rei nomine confecto notet.

Q V A E I T E M *ad reliqua sacramenta religiosè, &*

L de-

decenter tractanda, nec non ad Sacristiæ, & altarium ornatum, pertinent, prima cuiusq; mensis hebdomada diligenter inspiciat.

Vasa sacra, Cruces, Candelabra, Missalia, Vestes lineaq; indumenta unà cum reliqua sacra supellectili, Sacristæ curæ commissa, pura, nitidaq; ut ab eo seruentur, studeat.

DIES *festi, ieiunia'que ecclesiæ præcepto seruanda, sponsorum nomina, & huiusmodi alia Episcopi iussu promulganda, curet, ut non modò in Cathedrali, sed in alijs etiam parochialibus urbis ecclesijs, suis temporibus populo enuncientur.*

Vtq; Edicta nostra, quæ vulgari lingua conscripta, hisce Constitutionibus adiunximus, statis diebus à Parochis omnibus de scripto in ecclesia recitentur.

QVOD *in Constitutione de Pœnitentia monemus, ut ne quis uel Secularis, uel Regularis Sacerdos, nisi ab Episcopo probatus, confeßiones audire; nec item eorum ullus à casibus Episcopo reseruatis absoluere, nec absoluendi auctoritatem ultra Parochiæ suæ fines, aut ultra facultatem sibi concessam extendere*

dere quisquam poßit; hanc ipsius curam præcipuam esse uolumus, ut diligenter obseruet, an contra hæc aliquid in vrbe committatur.

Et si quem Confessarium minus in his obedientem cognouerit, eum statim Episcopo deferat.

IN MAIORIBUS anni celebritatibus, ac ijs præsertim, quibus ab Episcopo ritu solemni diuina officia in Chathedrali ecclesia celebrari de more solent, cura ei sit, vt vrbis Præfecti ad ea in tempore inuitentur; nec non ad generales processiones, quæ fieri intra annum solent, uel quas præterea nonnunquam ob Iubileum, uel aliam ob causam agi continget; ut populus eorum exemplo & frequentior, & maiori pietatis studio illis intersit.

IN PROCESSIONIBUS autem accuratè studeat, ut clerici omnes cuiusuis dignitatis, & gradus, siue Seculares, siue Regulares, qui vocari soliti sunt, nec non Sodalitatum Confratres, ac ceteri vtriusq; sexus fideles, ordine viri semper à mulieribus separati, quibuscunq; remotis colloquijs, qua decet animi religione, ac pietate, procedant; sacrasque preces Tri. sess. 25 c. 13. de Regul.

in eam causam fundant, qua supplicationes decretas esse cognouerint.

Illorum verò nomina, qui eis de more interesse debent, nec interfuerint, vel hora præscripta in ecclesiam non conuenerint, aut in procedendo earum ordinem perturbarint, vel in redeundo Crucem ad Cathedralem ecclesiam non fuerint prosecuti, ad Episcopum quàm primùm deferat.

QVONIAM illa in processionibus publicis obeundis, inter clericos Seculares hactenus seruata ratio, vt Clerici omnes vnum ecclesiæ Cathedralis vexillum, confusis omnium ordinum gradibus, sequerentur, magnam dissensionis occasionem frequenter præbuit; propterea, vt huic incommodo consulatur, Tridentini Concilij auctoritate nixi, hunc ordinem in his processionibus seruari in posterum iubemus.

Trid. ibid.

Vt Clerus quidem vniuersus Cathedralis ecclesiæ commune Vexillum, vt moris hactenus fuit, sequatur; non ea tamen ratione, vt ecclesiæ vnius Clerici omnes alterius ecclesiæ clericis omnibus succedant; sed ita potius, vt qui eiusdem sunt ordinis, locum simul eundem omnes teneant; qui sunt in mi-

noribus constituti, primum, secundum Subdiaconi, tertium Diaconi, vltimum sacerdotes; seruato tamen in singulis his clericorum gradibus eo ecclesiarum ordine, qui fuit hactenus consuetudine receptus.

At sancti Nazarij ecclesiæ collegiatæ Clerici simul omnes incedant, suam præferentes crucem, ad Concilij Prouincialis præscriptum, proximo post reliquos loco. Med. primũ. par. 2. tit. de Procesion.

Hos deniq; Cathedralis ecclesiæ Clerici item omnes sequantur cum suo peculiari vexillo.

A quo decreto qui discesserit, præter ecclesiasticæ Suspensionis pœnam, alias quoque, Episcopi arbitratu, subibit.

IN EA verò processione, quam die festo Corporis Christi celebri totius populi concursu agi solemne est, ei in primis curæ sit, vt ex illa quæcunq; à tanti Sacramenti maiestate, ac præstantia; & à rei, quæ religiosè geritur, sanctitate aliena sunt, ea omnia temporum vitio, & deprauatis hominum moribus introducta, tollantur omnino.

Vtq; Edictum hac de causa à nobis emissum, & consuetudine iam receptum, singulis annis Dominico die

die festum ipsum proximè præcedente, in quibusuis Ciuitatis ecclesijs promulgandum, atq; ab omnibus seruandum studeat; ne ea, quæ sancta ecclesia ad Dei gratiam fidelibus impetrandam instituit, in eorum perniciem conuertantur.

Conft. de Vita,& honeft. Cler. §.Vt uero.

I*IS Congregationibus, quibus frequentiores Confessariorum dubitationes statis temporibus tractari, ijsq; lectionibus, quæ publicè ad Clericos haberi in ædibus Episcopalibus solent, non solùm ipse, quoties poterit, interesse studeat; sed illud etiam apud Clericorum Decuriones, quibus hanc curam peculiarem demandauimus, diligenter agat, vt in hæc studia sedulò Clerici omnes incumbant;*

Cum studijs pietatem coniungant;

Munera quique sua pro ordinum suorum ratione in ecclesijs, quibus adscripti fuerint, præstent;

Diebus festis christianæ institutionis Confratres in eo pio labore iuuent;

Ac denique, vt mensibus singulis horum munerum à se præstitorum fidem à Decurione suo, ab ecclesiæ Parocho, & ab eo, quem Institutioni Christianæ Episcopus præfecerit, subscriptam ad Episcopum

ſcopum ipſum deferant.

Curet præterea, vt quod de ſacroſancta Euchariſtia tùm ijs diebus, quibus Epiſcopus Miſſæ ſacrum in eccleſia ſolemniter faciet, tùm alijs, ſemel ſaltem in menſe, quibuſcunque Clericis ſumenda ibidem monemus, id illi, quo debent pietatis ſtudio, ſeruent.

C*VM plerique laici homines pio zelo ducti, ſtatis cuiusq; menſis diebus in Epiſcopalem domum conueniant; alij quidem, ut de moribus honeſtæ, piæq; vitæ promouendis; alij verò, ut de chriſtianæ Inſtitutionis ſodalitatibus iuuandis; alij de pauperibus ſuſtentãdis; alij deniq; de viduarum, & pupillorum patrocinio ſuſcipiendo, ſollicito charitatis ſtudio nobiſcũ pertractẽt; ipſe tam pijs conuentibus ſtudiosè ſemper cùm ijs, qui à nobis conuocabuntur, interſit; ut eorum etiã exemplo ceteri ad hæc, & huiuſmodi alia pietatis opera amplectenda magis, magiſq; inflammentur.*

P*AROCHIALES Vrbis eccleſias bis intra annum, menſe ſcilicet Iunio, ac Nouembri, ad formulam Vicarijs foraneis hac ipſa de re præſcriptam, inuiſat.*

Et quæ ad earum reſidentiã perſonalẽ, diuinũ cultũ, animarũ ſalutẽ, ornatum ue pertinẽt, ita perficiẽ- da

da à Parochis omnia studeat, ut ad nostrarum Constitutionum præscriptum, quàm fieri potest proximè accedant.

In quibus, si quid erit, quod Episcopi cognitionem desideret, id ei quamprimùm significet.

Const. de Cura ani. §. A literarum.

Illud etiam ex Parochis cognoscat, an à literarum professoribus ea serventur, quæ præstari ab illis in Constitutione de Cura animarum iubemus.

PERQVIRAT *item, an illius Parochiæ Rector, cui eorum animæ commissæ sunt, qui in publico laicali carcere custodiuntur, omnia præstet, quæ ad eorum salutem spectant.*

Et in primis, an eis in Paschæ celebritate Pœnitentiæ, & sacræ Eucharistiæ Sacramentum ministret.

An sæpe ipsos pijs sermonibus consoletur, horteturq́, ut salutis viam assidua oratione, frequentiq́ sacramentorum usu sibi parent.

An Missam, quæ diebus festis magni Hospitalis impensa, in sacello iuxta carcerem constructo, celebrari solet, omnes, qui pro carceris commoditate possunt, attentè, pieq́ audiant.

Si

Si verò in huiuſmodi inquiſitione aliquid deprehenderit, quod vel ad rei ſpiritualis promotionem, vel ad miſerorum hominum, qui ære alieno obſtricti ſunt, ſubleuandam inopiam, vel ad innocentum patrocinium ſuſcipiendum, Epiſcopalem curam deſideret, id ſtatim Epiſcopo ſignificet.

IN SANCTI *Vrbani Monialium cura, quæ ſibi commiſſa eſt, diligentiam adhibeat, vt quæ noſtra de Monialibus Conſtitutione ceteris ſacris virginibus ſeruanda ſtatuimus, ipſæ quoq; ſtudioſè ſeruent.*

CVM DIOECESANA *Synodus, è Tridentini Concilij decreto, ab Epiſcopo conuocabitur; illud ad ſe quoq; pertinere ſciat, vt ſacerdotes omnes in Vrbe commorantes, ab ipſius Synodi indictione, donec dimiſſa erit, quinta quaq; feria Miſſam de Spiritu ſancto celebrent.* Trid. ſeſſ. 24. c. 2. de Refor.

Eamq; vnà cum ceteris Diœceſanis ſacerdotibus, qui ad ciuitatem hac de cauſa conuenerint, ijs diebus, quibus incboata ſynodus abſoluetur, celebrare non omittant.

Reliqui verò inferioris ordinis Clerici, quo die illius initium fiet, ſacram communionem ſumant.

Videat præterea, vt & in Cathedrali, & in alijs parochialibus ecclesijs, vbi plures sunt Sacerdotes, die Dominico Synodi celebrationem proxime antecedente supplicationes habeantur, ad Diuinum auxilium impetrandum, quò Synodus, cum Dei gloria, optatum exitum consequatur.

Mediol. 2. tit. 2. dec. 8

PROVINCIALI itidem Synodo indicta, ipsius quoque sit, vt, quod Prouinciali Concilio decretum est, quinta quaq; post indictionem feria, Missa de Spiritu sancto in omnibus Vrbis parochialibus ecclesijs celebretur; & Dominicis diebus in ijsdem Cathedrali, & alijs ecclesijs processio agatur, quoad illa, prout moris est, dimittetur.

Tri. sess. 25. c. 2. de ref.

QVONIAM, qui beneficia ecclesiastica obtinent, quiq; ad diœcesanam Synodum conuenire solent, Tridentina decreta in ipsa Synodo recipere, obedientiam summo Romano Pontifici spondere, hæreses abiurare, fideiq; professionem publice præstare debent; hanc quoque illi curam demandamus, ut eos, qui hæc nondum præstiterunt, ex Cancellarij Episcopalis libro, quem huic rei in nostra de Foro Iudiciali Constitutione decreuimus, cognoscat.

Const. de Iud. Foro. §. Archiuium.

Eorumq;

Eorumq; nomina octo ante diebus, quàm Synodus annis singulis cogatur, Episcopo significet; vt ab illo cogniti, eo ipse die, quo primùm Synodus conueniet, ante Constitutionum lectionem, hæc ipsa præstare illi iubeantur.

DE PRAEPOSITO.

PRAEPOSITVS tertium locum tenet; Ad eum ex antiqua ecclesiæ consuetudine præcipuè spectat, quæcunque Capituli, ecclesiæq; iura, ac bona tueri.

Ne verò temporis iniuria, vel alia causa, aliquid ex his bonis deperεat, eius cura sit, vt ex Prouincialis Concilij decreto, intra sex menses, post harum Constitutionum editionem, Inuentarium, seu designamentum, vt dicitur, huiusmodi bonorum, ac iurium per Capitulum coram Episcopo, vel alijs, ab eo huic negocio præfectis, conficiatur. Med. primũ. par. 2. tit. quæ pt. ad bon. & iur. eccl.

Quod in Capitulari Archiuio in ecclesia sito, cum reliquis Capituli iuribus seruetur. Med. 3. tit. de ijs, quæ ad ca. pert. §. Instrumenta.

Neq; inde Inuentarium, scripta'ue alia sine Capituli consensu depromantur, aut describantur.

NE EPISCOPALIA *item bona vlla in parte intercidant, duos ex Capitulo deligendos curet, quorum opera Episcopus, intra illud ipsum sex mensium spatium, in conficiendo bonorum Episcopatus designamento, iuuetur.*

Designamenta autem hæc in Archiuio Episcopali, vnà cum ceteris tam Vrbis, quàm Diœcesis ecclesiarum designamentis, custodienda statuimus.

Et quamuis sede vacante, Archiuij cura præcipua ad Vicedominum pertinet; vt tamen studio maiore ea bona asseruentur, Archiuij etiam clauem ipse eo tẽpore habeat, à Vicedomini claue diuersam; quam, cum Vicedominus indicabit, Episcopo successori tradat.

EAM *etiam ipse curam suscipiat, vt mense Nouembri in annos singulos Canonici tres à Capitulo deligantur, ad eorum officialium, & ministrorum, qui à Capitulo creari solent, mores inquirendos.*

Med. primũ. par. 2. tit. com. de Minist.

Quorum officialium electionem nullam fore ex Prouinciali Concilio declaramus, nisi prius tres illi coram

coram Episcopo bona fide affirment, eum, qui eligendus est, quantum ipsi nosse potuerunt, probum, idoneum, eoq; munere dignum esse.

Illud quoque eodem Nouembri mense apud Capitulum agat, vt duo item pro more Canonici ab eo eligantur, qui Musicæ Magistrum, Organistam, & Ludimagistrum, ex fructibus ecclesiæ Cadiniani conduci solitos, in officio contineant. Singulosq; suorum munerum sæpe moneant; vt illi concentibus, ac modulationibus consuetis diuinum cultum decorare; hic vero Clericos latina lingua, & ecclesiastica disciplina instituere diligenter studeat.

QVONIAM *Cathedralis ecclesiæ munera obiri pro dignitate, absq; cærimoniarum magistro uix possunt, id ei curæ demandamus, vt instituendi huius officij, quemadmodum à Concilio Prouinc. statutum est, rationem aliquam cum Capitulo ineat; initamq; nobiscum conferat, vt officium hoc aliquo modo interim institui poßit, donec beneficij ecclesiastici unione, seu alia ratione, huic rei prouideatur.* Med. primũ. par. 2. de off. Magistri chori. &c.

Magistri autem cærimoniarum partes, quæ nunc ministris alijs attributæ sunt, illæ inprimis erunt, quæ

eodem

eodem Concilio describuntur.

Vt quale quotidie officium dicendum sit, denunciet, simplex'ne, an duplex; de festo'ne, an de ferià; quæ item Antiphonæ, Orationes, Psalmi, Lectiones recitandæ.

& Vt significet ijs, qui in choro aderunt, quando standum, quando caput inclinandum, quando genua flectenda.

Vt ecclesiæ Ministros omnes sui officij præmoneat; & Euangelium, aut Epistolam recitaturos priuatim prius audiat, ne quid errati publicè palamue fiat.

Vt officij recitandi, & Missarum celebrandarũ ordinem Tabella descriptum, per hebdomadas singulas in Sacristia proponat.

Vt solemnibus ritibus semper intersit. Et Episcopum, vel sacerdotem alium celebrantem præmoneat, quæcunq; ab vno, vel altero ritè agi oportet.

I DEM cum Capitulo rationem ineat, vt, quod ad ecclesiæ etiam Cathedralis dignitatem maximè pertinet, duo deligantur, vnus Diaconus, alter Subdiaconus, qui ipsis etiam ferijs, sacrum facienti, vestibus sacris induti, pro muneris sui ratione aßistant,

ſtant; & Euangelium ille, hic Epiſtolam canat.

AEDES, *quæ prope eccleſiam ad Canonicorum, & Manſionariorum vſum conſtructæ reperiuntur, ab ijs, qui eas poßident, habitandas curet, quò facilius eccleſiæ miniſterijs præſto eſſe poßint.*

Quòd ſi qui eorum per legitimam cauſam eas inhabitare non poßunt; vetamus, ne alijs eas locent, ſi locare eas illis poßint, qui eccleſiæ miniſterio addicti ſunt.

In harum verò habitatione, aut locatione, ea ſeruent, quæ de hoc genere in Conſtitutione de uita, & honeſtate Clericorum à nobis decreta ſunt. Conſt. de uita, & ho neſt. cler. §.Quoniã.

IN CANONICORVM *conuentibus, qui capitulariter ſtatis cuiuſq; hebdomadæ diebus, haberi ſolent; ea omnia ſeruari ſtudeat, quæ eorum leges, ac probatæ conſuetudines poſtulant.*

Et in his ſemper illa priore loco tractanda proponat, quæ ad Clericorum honeſtatem, ad ſpiritualis uitæ progreßionem, & ad eccleſiaſticam diſciplinam noſtris Conſtitutionibus præſcriptam, ſpe-

ctant,

ctant, quàm quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent.

Ad eos autem conuentus quoties, qui interesse debent, vocati sunt, ante dimissum à se Capitulum, neminem prius discedere patiatur, quàm discessionis causam vnà cum Capitulo cognouerit, atque probauerit.

VIDEAT item, ut quæ Canonicis, ac Mansionarijs, tam in sacris ordinibus suscipiendis, quàm in habitu deferendo, pace mutua, ac modestia seruanda, alijsq; huiusmodi, pro Clericali dignitate, peragendis, hac ipsa Constitutione iubemus, accuratè omnia perficiantur.

Quare totam hanc de ecclesia Cathedrali Constitutionem prima qualibet Aduentus Domini hebdomada omnibus cuiuscunq; dignitatis, & ordinis ministris, apud Episcopum congregatis, perlegendam curet.

VT IN IIS, quæ ad cultum Diuinum amplificandum, & ecclesiasticam disciplinam tuendam pertinent, communi Canonicorum consilio Episcopus magis iuuetur, singulis mensibus, aut saltem sæpe

in

in anno, Canonicorum Capitulum coram Episcopo ipso, vt est Prouincialis Concilij Decretum, conuocet. Med.3.tit. de ijs, q ad Cap. pert. §. Quo facilius.

Vbi ea tractentur, quæ ad ecclesiasticam disciplinam, ad Capituli leges, mutuamque charitatem conseruandam pertinent; vt si quid etiam erit, quod emendationem aliquam requirat, emendari hac ratione facile possit.

EIDEM curæ sit, vt ecclesijs Capitulo vnitis, quæ curam animarum habent, Vicarij, de Capituli consilio, præficiantur idonei, cum ea mercede, atq; ad id tempus, siue perpetuum, siue definitum, quod Episcopus, Tridentini Concilij auctoritate, iudicarit; qui etiam ab ipso Episcopo cogniti, & probati prius erunt. Trid. sess.7 c.7.

DE VICEDOMINO.

VICEDOMINVS, qui Præposito proximè succedit, bonorum, ac iurium Episcopatus, dum sedes Episcopalis vacauerit, curam ipse imprimis suscipere debet.

N Quare

Quare Episcopo mortuo, Archiuij Episcopalis clauem alteram statim accipiat; & Præposito sibi adiuncto, qui clauem alteram à sua diuersam habebit, qua poterit diligentia, quælibet Episcopatus iura, & instrumenta in Archiuio asseruanda, à quibuscunq; sibi tradi studeat; eaq; omnia sub eadem custodia Episcopo successori statim tradat.

Quocunq; tempore in ecclesia Cathedrali aliquid ad eius reparationem, vel decentiam desiderari viderit; id si ad ipsius fabricæ Præfectos pertinebit, ab illis vt quamprimùm perficiatur, curet.

DE CANTORE.

CANTOR *quintum locum obtinet. Eius partes in earum rerum cognitione versantur, quæ ad diuina officia rite celebranda pertinent.*

Quare quæ ad cærimonias spectare videntur, eorum peritiam tenere studeat.

Deq; ijs omnibus, cum illis præsertim ministris, ad quos diuinorum officiorum recitandorum ordo, & ratio pertinet, sæpius tractet; ne aliquid in legendo,

do, canendoúe agatur, quod tempori, vel solemnitatum rationi minus conueniat.

QVONIAM officiorum diuinorũ munus ad Mansionarios, atque ad Capellanos perpetuos, duosq; item non perpetuos, quos cõmunis mensæ Capitulum mercede conducit, præcipuè pertinet; illud ipse videat, ut eorum nemo quotidianarum distributionum particeps fiat, qui ad suum munus obeundum eo modo à Capitulo probatus non sit, quem infra in capite de Mansionarijs præscribimus. Infra. tit. de Mansio. §. Quotidianarum.

CALENDARIVM pro certa diuini officij recitandi ratione, atq; eadem in omnibus tam urbanis, quã diœcesanis ecclesijs retinenda, ita in tempore quotannis conficiat, ut aliquot ante Domini Aduentum diebus in lucem editum sit.

CVRET etiam, ut Clerici minores, qui à musicæ Magistro in cantu erudiendi sunt, in dies magis proficiant.

Vtq; illos, & alios, qui ad canendum in chorum conduci solent, non nisi talari veste, cottaq; indutos, & ordine, modesteq; procedentes deducat.

Cantus verò nullos edat, nisi graues, distinctosq;,

vt & quæ canuntur clarius percipiantur, & audientium animi ad pietatem, rerumq́ cælestium meditationem inducantur.

Et ab organo modulationes profanas omnes amouendas studeat.

ILLVD *etiam videat, vt & duo Choristæ, & quatuor Diaconi, qui ab eodem Capitulo, illi scilicet ex ecclesiæ Senigæ, hi ex ecclesiæ Diui Augustini prouentibns ad inseruiendum choro conduci solent, bonis moribus ornati sint.*

Infra. tit. de D.u.off. §. Choristæ.

Suaq́ munera, quæ infra suo loco constituemus, præstare non ignorent.

DE DECANO.

DECANVS *Cantorem subsequitur. Is omni pietatis studio in illud incumbat, vt Clerici, quorum quatuor eiusdem mensæ fructibus, quatuor Sacristiæ impensis, ad chori, & eiusdem Sacristiæ ministerium conducuntur, bonis moribus instituantur.*

In literarum studijs proficiant;

Suaq́

Suaque munera, qua debent diligentia, præstent.
Cum verò eorum aliquem, prius monitum, in his minus obedientem viderit; si sit is è quatuor posteriorum numero, sua ipse auctoritate; si vero priorum, vnà ipse cum Capitulo missum faciat.

EFFICIAT præterea, vt Capitulum bis in anno, hebdomada scilicet post octauam Resurrectionis prima, & Aduentus Dominici hebdomada item prima, vnum aliquem ad ecclesias Capitulo vnitas inuisendas constituat.

Atque siquid in earum cultu, vel animarum salute procuranda inuenerit, quod pro Episcopaliũ constitutionum ratione non dispositum, ministratumue sit; det ipse Decanus operam, vt Capitulũ ea de re ab illo moneatur; monitum verò ecclesiæ illi, quæ curatione indiget, quamprimum succurrat.

Deque his omnibus Episcopum subinde certiorem faciat.

QVONIAM omnibus ijs, quos diximus, in dignitate cõstitutis, diuersa munera, tanquã coadiutoribus, atque ad Episcopalium laborum partem in ecclesia

clesia Cathedrali subleuandam administris imposita sunt, quæ sine magno diuini cultus, disciplinæq; ecclesiasticæ detrimento deseri non possunt; statuimus, vt cum eorum quispiam ab Vrbe aberit, vel alia de causa impeditus muneri suo satisfacere non poterit, alius præsens, qui absenti proximus succedet, illius partes suscipiat.

Archidiacono autem absente, Præpositus, ob assiduas Archipresbyteri in animarum cura occupationes, quarum causa à choro abesse ferè semper cogitur, absentis Archidiaconi officium in omnibus suppleat; ijs exceptis, ad sacras ordinationes pertinentibus, quæ Archidiacono absente ab Archipresbytero præstari iubemus.

DE CANONICIS.

CVM EX Canonicis, qui decem & septem numero sunt, quinq; tantum, suarum præbendarum ratione, sacerdotali ordini adscripti sint; sacri Trid. Concilij auctoritate statuimus, vt semper dimidia saltem eorum pars Sacerdotes sint; reliqui

Tri. sess. 24 cap. 12. de refor.

verò

verò Subdiaconi, aut Diaconi.

Quare qui nunc aliquem ex his quinq; Sacerdotalibus Canonicatibus obtinet, vel in posterum obtinebit, sacerdotij ordinem suscipiat. His verò, qui nondum sacerdotali ordine initiati sunt, annum ab harum Constitutionum editione ad illum suscipiendum præfigimus.

Intra quem nisi paruerint, distributionibus, suæq; præbendæ fructibus mulctabuntur. Qui fructus Sacristiæ usui, distributiones vero ijs, qui præsentes choro inseruiunt, attribuentur.

Quatuor autem alijs Canonicatibus, præbendisq; per priuationem, vel cessionem, aut per aliam causam proximè vacaturis, secerdotalem ordinem iam nunc annexum esse declaramus.

Quemadmodum quatuor, qui subinde vacabunt, ordinem Diaconatus, reliquis que quatuor ordinem Subdiaconatus ipso iure adiunctum esse decernimus.

SI QVAM *tamen harum præbendarum Canonicalium, ex omnibus Cathedralis ecclesiæ præbendis, primo, aut secundo loco vacare contigerit, ideoq; illam tum ex Concilij Tridentini, tum ex Sanctiss.* Trid. sess. 5 c. 1. & 24. c. 8. de ref.

D. N.

Bul. Gregor. XIII. die. 4. Decẽb. 1573.

D. N. Gregorij. XIII. decreto, vel Pænitentiario, vel Theologiæ sacræ interpreti, in ecclesia ipsa Cathedrali instituendo, vniri oporteat; nolumus idcirco eum, cui illa obtigerit, à ceteris muneribus præbendæ suæ annexis, immunem esse, præterquam ijs casibus, qui iure excepti sunt.

Trid. ibid.

Trid. sess. 24. c. 12. de refor.

NEMINEM, qui viginti duobus annis minor sit, dignitati vlli præfici, neque adeo cuiquam ad eam aditum esse liceat, si illa eiusmodi sit, vt sacrum aliquem ordinem annexum habeat; nisi etiam ordine illo sit initiatus, quem ea requirit, vel illa sit ætate, vt infra tempus à iure statutum initiari illo possit.

Et si quidem aliquis dignitatem sacro ordini coniunctam adeptus, illo non fuerit tempore debito initiatus, sciat præter grauem culpam, se distributionibus illis priuandum, quibus ij etiam priuantur, qui initiati sui ordinis munus non perficiunt.

Si verò dignitatis consequendæ cupiditate, ætate ementita, ante legitimum tempus illam impetrarit, collationem eius beneficij ita nullam intelligat, vt illius retinendi nullum planè ius sibi relinquatur; Quemadmodum de eo statutum est, qui ante annum

num vigesimum quintum inchoatum, beneficium curatum absq; Pontificis dispensatione suscipit. Cap. Licet canon.& c. Cũ ex eo. de elect. in 6.

A POSTQVAM vero aliquis Canonicatũ, vel aliam dignitatem obtinuerit, intra duos saltem menses, à die possessionis adeptæ, ex eiusdem Concilij decreto, coram Episcopo, vel, eo impedito, coram generali eius Vicario, præsente etiam Capitulo, orthodoxæ fidei professionem ad præscriptum præstet. Alioquin eius prebendæ fructus suos non esse intelligat. Tri.sess. 24 cap. 12. de reform. & Bul. Pij. iiij Id. Nouẽ. 1564.

QVICVNQVE è Canonicis Parochialẽ ecclesiam obtinet; in ea, vt est Pij. V. Pont. Constitutio, resideat, omniaq; præstet, quæ Parochiale munus requirit. Bul. Pij. v. oct. id. Iul. 1568.

VT CANONICI, atque in dignitate constituti quemadmodum honoris gradu ceteris Clericis antecellunt, ita etiam exteriori habitu ab alijs distinguantur, Prouinciale Concilium illis concedit, vt pallio, Mantelli nomine vulgo nuncupato, amicti incedant. Med. primũ. par. 2. tit. de cler. uest. & secũdum. tit. 2. decr. 31.

Quod quidem ad collum apposite clausum sit, & ad vtrunq; latus scisuras eius longitudinis habeat, per quas brachia commode proferri possint.

O Ceteris

Ceteris verò Clericis ecclesiastica dignitate, vel doctoris gradu minime insignitis illud interdicit.

AD CANONICORVM *Capitula, quæ per singulas hebdomadas statis diebus conuocari solent, omnes, quorum supra meminimus, conueniant.*

Nec inde discedere cuiquam liceat, facultate à Præposito vnà cum Capitulo, non impetrata.

Suo quisq; loco ibi sedeat, eoq; ordine, quẽ in choro, et vbicunq; collegialiter conueniunt, tenere solent.

Sententiam suam modestè dicat;

A verbis scurrilibus abstineat;

Alioquin propter absentiam illius diei distributiones amittat; propter immodestiam autem alijs, capituli arbitrio, pœnis mulctetur.

QVICQVID *in ijs capitulis decernendum erit, id non de consensu agatur, quem singuli seorsum præbuerint, sed omnibus legitimè congregatis, per occulta suffragia, consentientibus decernatur.*

Quod secus decretum erit, irritũ, nullumq; sit.

Vt autem, quæ ab illis agi, decerniue oportet, optatum exitum cum Dei gloria consequantur, antequam aliqua deliberandi ratio ineatur, primùm

oratio.

oratio. Actiones nostras, quæsumus Domine &c: deinde ad finem oratio, Gratiam tuam, quæsumus domine &c. ab omnibus simul pronuncietur.

IN HVIVSMODI rebus consultandis si quæ inter Canonicos altercationes, & rixæ oboriantur, vel inter alios etiam ecclesiæ ministros similia contingant, eos Præpositus statim conciliare studeat. Med. 3. de ijs quæ ad cap. pert. §. Si Rixæ

Quod si quis dignitatis, et officij sui adeo immemor erit, vt etiam in iurgia, contumeliasq́ prorumpat, eidem Præposito præcipimus, vt delinquentis nomen ad Episcopum quam primùm deferat: à quo pro culpæ ratione, præter pœnas à Capitulo iniunctas, pœnis etiam grauioribus, si res ita postulet, ab eo afficiatur.

DE MANSIONARIIS,

ET CAPELLANIS.

MANSIONARII, & Capellani perpetuò seruientes, qui suis titulis Sacerdotium annexum habent, ijsdē legibus, ac pœnis, quod attinet ad sacerdotalis ordinis susceptionem, & mu-

Supra tit. de Canon. §.Neminē.

neris sui functionem præstandam, astricti sint; quibus Canonicos supra deuinximus.

QVOTIDIANARVM distributionum ne quis eorum partem capiat, donec duabus Capituli occultorū suffragiorum tertijs partibus, ad cantum firmum rectè canendum, & ad alia munera, pro sui officij ratione, in choro obeunda idoneus iudicatus erit.

MANSIONARII, ac quicunque alij, qui in choro per hebdomadas inseruire debent, Diuinum Officium in suis hebdomadis ordinent, inchoent, aliaq; sua singuli munera peragant, quæ ad rite illud persoluendum pertinent.

Qua in re si quis negligenter se gesserit, eius diei, Præfecti chori iudicio, distributiones amittat; ipsiusq; vices, eadem proposita pœna, ille suppleat, qui præsens in hebdomada succedet.

DE DIVINIS OFFICIIS.

DIVINIS Officijs celebrandis omnes, qui Dignitates, aut Canonicatus obtinent, ceteriq; ministri, qui interesse debent, campanæ signo da-

 to, in

to, in tempore ad ecclesiam conueniant.

Quam ingreßi, ad altare maius primò aliquantulum orent.

Tum Sacristiam ingrediantur.

Vbi cotta induti, paruula prius per Sacristam campana pulsata, accensisq; in Altari luminibus, ordine omnes ad chorum procedant. Tri.sess.24. c.12. de reform. & Medio. 1. part. 2. tit. de iis quae Diu. offic. &c.

Et vbi se Altari, ac deinde Episcopo, si præsens aderit, humiliter inclinarint, in suam se quisque sedem recipiat.

In qua genu vtroq; flexo, ac summissa voce Dominicam saltem orationem dicat.

E*O ORDINE chorum ingreßi, & per Hebdomadarium, annuente chori Præfecto, Pater noster, clara voce pronunciato, omnes ad inchoandum officium consurgant.*

Qui verò Matutino, eo loco, & tempore, quòd in Constitutione de Residentia præscripsimus, ante finē Psalmi, Venite exultemus; itidemq; alijs horis, ante finem primi Psalmi, vel Mißæ maioris celebrationi, ante finem Gloria in excelsis, non intererit, pro absente habeatur, illiusq; horæ distributione mulctetur, Const. de Residē. §. Diuinum.

tur; nisi aliqua necessitate, aut maiori ecclesiæ utilitate à chori Præfecto approbanda, abfuisse cognoscatur.

IN DIVINIS *Laudibus, quæ in Dei conspectu summo religionis cultu sunt recitandæ, omnes in dignitate constituti, et Canonici religiose, pieq; canendo, eo studiosius suo muneri, ad generalis Triden. Prouincialisq; Concilij præscriptam ratione, satisfaciant, quò magis alios suo exemplo ad id ipsum accedere debent.*

Tri.ses.24. c.12. de reform. & Medio. 1. part. 2. tit. de ijs, qui Dignitates. &c.

CVIVSVIS *ordinis, ac dignitatis Ministri, in choro præsentes, pro tēporis, & officij ratione sedeant, stent, genua flectant, caput aperiant, & inclinent.*

Quibuscunq; colloquijs, literarum, & huiusmodi aliorum scriptorum lectionibus abstineant.

Atq; dum Diuinum Officium ab omnibus simul celebratur, eorum nemo illud priuatim recitet.

Quòd si quis loquendo, vagando, legendo ue ab hac præscripta lege discesserit, pœna eadem puniatur; grauiorem etiam Episcopi arbitratu subiturus, si in huiuscemodi offensione diutius perseuerarit.

NVLLVS, *Diuino Officio non absoluto, missione à Præ-*

Præfecto non impetrata, choro abeat.

Neq; eo peracto ante surgat, quàm signum ab eodem detur.

Illo uerò dato, omnes consurgentes charitatis, modestiæq; significatione inter se salutantes, quo ordine ad chorum accesserunt, eodem in Sacristiam reuertantur, ibiq; cottam deponant.

CVM MISSAM, *aut Vesperas Episcopus soleni cærimonia celebrabit, aut alia Pontificalia munera obibit, hi omnes ut ijsdem Concilijs decretum est, ei in choro, ad tabellæ in Sacristia affixæ ordinem, assistant, & inseruiant.* Triden. & Med. primum. ibid.

Quod qui facere neglexerit; illius diei distributiones amittat.

Atq; si à chori Præfecto monitus, uestes sacras is, qui ex tabellæ præscripto debet, in eo ministerio induere recusarit, Episcopo id statim ab eodem Præfecto significetur.

QVOD *Prouinciali Concilio statutum est, ut feria quinta hebdomadæ sanctæ in collegiatis ecclesijs omnes Clerici etiam Sacerdotes, & in dignitate constituti, in eo sacro, quod solemniter celebrabitur, in sua* Med. 3. tit. de ijs, quæ ad diu. off. pert. §. Feria.

quiq;

quiq; ecclesia sacram Eucharistiam sumant; id quoq; in Cathedrali faciant, in ea Missa, quam Episcopus eo sacro die celebrare solet.

Cum verò intra annum solemne sacrum ab Episcopo de more fiet; omnes item eiusdem Cathedralis ecclesiæ Clerici, exceptis Sacerdotibus, vt Eucharistiæ Sacramentum ab illo suscipiant, vehementer hortamur.

Med. 1. par. 2. tit. de Frequen. &c.

Quibus Concilij etiam Prouincialis auctoritate præcipimus, Diaconis quidem, & Subdiaconis, ut bis; reliquis verò ordinis inferioris Clericis, vt semel saltem singulis mensibus sacram Eucharistiam, quā oportet religiosa pietate percipiant; cum præsertim ad frequentiorem etiam illius perceptionem Concilium Tridentinum illos hortetur.

Tri. ses. 23. c. 13.

Sic enim fiet, vt & ipsorum animæ hoc saluberrimo alimento reficiantur, et populus eorum exemplo ad religionem excitetur.

Mediol. 1. part. 2. tit. de ijs, qui dignitates.

CVM PROVINCIALIS etiam Concilij decreto statutum sit, vt Canonici, sibi ordine succedentes, Missam, ac Vesperas Dominicis omnibus, alijsq; festis diebus, ecclesiæ præcepto colendis, per se, non per alios, cantent;

cantent; idcirco hoc iubemus, vt cum primùm dimidia Canonicorum pars, ea ratione, quam supra præscripsimus, sacerdotali ordini adscripta erit; his ipsis diebus Diuina Officia ipsi per se celebrent.

Supra tit. de Canon. §. Cum ex Canonicis

Donec verò inter eos minor erit Sacerdotum numerus, Quadragesimæ saltem, Aduentusq. Dominicis, festis item omnibus, præcepto ecclesiastico celebrandis, & quibus Episcopus præterea diebus, alicuius celebritatis causa, Diuinis intererit Officijs, ea recitare per se ne omittant. Quæ verò certis anni hebdomadis ex peculiari præbendæ obligatione præstare debent, ea per se, vel per alios suo arbitratu præstent.

Eum ordinem in hac celebratione sequantur, qui fuerit illis à chori Præfecto Capituli consilio præfixus.

Alijs autem diebus Mansionarij id muneris perficiant.

Qui officij sui partes, uel per se, uel per alium, si impeditus ipse erit, nō præstiterit, uel saltem de legitimo impedimento Præfectum in tempore certiorem non fecerit; is Prouincialis Concilij Constitutione, distributio-

Med. 3. de ijs, quæ ad Diu. off. pt. §. Quæ.

butionum parte Episcopi arbitrio priuetur.

Supra tit. de Canon. § Cum ex Can. tit. Const. de celeb. Miss. §. Quilibet.

Quisquis verò eorum die Dominico Missam cantabit, antequam eam inchoet, aqua benedicta, ex ecclesiæ ritu, vt alibi diximus, populum aspergat.

Med. tertiũ de ijs, quæ pert. ad Miss. sacrif. §. Missæ.

Q*UOTIES Missa aliqua pro Defunctis, quacunque ex causa, cantabitur, ne Missa conuentualis, vt in Missali nouo, & Prouinciali Concilio iussum est, vllo modo omittatur. Qui verò vtrique non interfuerit, eius diei distributiones amittat.*

C*HORISTÆ, ac Diaconi, qui in choro ministrandi causa à Capitulo conduci solent, sua munera diligenter præstent.*

Choristæ quidem, vt ante omnes ad chorum accedant, libros parent, omniaque in officiorum celebratione canenda, de Hebdomadarij consilio signent, atque canentibus commonstrent.

Diaconi verò bini semper sacris vestibus induti, celebranti ministrent.

Mediol. 1. part. 2. de Missæ solẽ. Diu. off. pr. §. Quæ.

Qui si Canonicus erit, Sacerdotem etiam, ut Prouinciali Concilio iubetur, pallio indutum habeat, qui sibi assistat.

SIN-

SINGVLIS sabbatis diebus, tum in Cathedrali, tum in collegiatis ecclesijs Missa de beata Virgine cantetur; nisi festi diei solemnitas, aut alia ritus ecclesiastici ratio aliter fieri postulet. Med. primũ part. 2. tit. q pert. ad celebr. Miss.

Eius verò commemoratio ne tunc quidem omittatur; nisi hæc etiam, eodem ritu postulante prætermittenda sit.

MISSAE sacrum, quod eorum vnusquisq; pro suarum præbendarum ratione, facere debet, nisi necessaria aliqua impediatur causa, ab Archidiacono cognoscenda, eo tẽpore, atq; in eo altari celebret, quod ei Sacrista ad populi, et ecclesiæ cõmodum, præscripserit.

Quoties uerò muneri suo defuerit, toties solidi decem monetæ Brixiensis ex eius mercede, vel prouẽtibus à Sacristiæ Massario detrahãtur; qui in eleemosynã cõferantur sacerdotũ Missæ sacrũ facientiũ. Trid. ibid.

NE CVLTVS ecclesiæ debitus deseratur; Concilij Tridentini auctoritate vetamus, ne amplius, quàm tres menses, intra annum, abesse quisquam possit, proposita Concilij eiusdem pœna, vt qui longiori tempore abfuerint, præbendæ etiam fructus pro absentiæ ratione amittant. Tri. ses. 24. c. 12. de rẽ form.

Ne verò aliquando intra annum ijs præsertim temporibus, quibus ad priuata negocia foris gerenda maiore numero egredi ex Vrbe solent, ecclesiæ debitum ministerium relinquatur; nunquam minor, quã dimidia ordinis cuiuslibet pars, choro intersit.

Et ineat Capitulum rationem aliquam, qua per vices ita sibi illis temporibus succedant, vt & priuatis negocijs vacare omnes, & choro interim adesse, ad eum saltem numerum, possint.

Alioquin illud statuimus, & decernimus, vt cũ, reliquo numero foras egresso, sola media pars in Vrbe remanserit, non solum eorum, qui postea choro non interfuerunt, absentia, in punctationum librum referatur; sed etiam pro culpæ ratione, seuerius in eos Capituli arbitrio agatur.

Trid. ibid.

C. primo. de cler. nõ resid. in 6.

Nec tempus, quo Tridentini Concilij decreto abesse permittitur, in distributionum ratione suffragari sibi existiment; nisi corporis infirmitate, aut euidenti ecclesiæ vtilitate à choro abesse cogentur; aut nisi legitimam aliquam à sede Apostolica concessionem, seu priuilegium habeant.

QVADRAGESIMAE, Aduentusq; Domini, ac reliquo

liquo anni tempore, quo in ecclesia concio, aut etiam in Episcopatu sacra aliqua lectio publicè habebitur, Canonici cum reliquis Clericis, eis, quantum in ipsis erit, interesse omnino studeant, vt est Concilij Prouincialis decretum.

Medio. 1. part. 1. de Præd. Verbi Dei. & 2. tit. 2. decre. 27.

EPISCOPVM, *siue concionis, siue Diuinorum Officiorum, siue alterius pastoralis officij causa in publicum prodeuntem, omnes in dignitate constituti, atq; Canonici, pro laudabili consuetudine, comitentur.*

Mediol. 1. part. 2. tit. de Miss. solemn.

DE PVNCTATORE.

PVNCTATORIS *munus est definitas hac Constitutione distributionum mulctas, adhibita diligenti errantium exploratione, in punctationũ librum referre. In quibus hæc illi præcipuè seruanda, atq; cognoscenda sunt.*

An quis à choro abfuerit, quem corporis ægritudo, aut publica vtilitas non excuset. Is enim Concilij Tridentini iure distributionibus priuatur.

Tri. sess. 24 cap. 12. de reform.

An item cum, ceteris ab Vrbe egressis, sola relinquitur in Vrbe ministrorum dimidia pars, quispiã

tunc

tunc ex reliqua illa medietate à choro abfuerit. Is enim præter alias pœnas, distributionibus etiam eodẽ iure propter absentiam caret.

An aliquis ex ijs, qui Capitulo statis diebus interesse debent, sine iusta causa ab eo abfuerit. Propter quam absentiam diei illius, qua abfuerit, distributionibus mulctandus est.

An Mansionarius, vel Capellanus duabus suffragiorum partibus, ad cantum firmum canendum, et alia munera sua obeũda sit probatus. Qui enim ita probatus nõ est, nullã distributionũ partẽ capere debet.

An aliquis ad Missam, vel ad unam aliquam horarum canonicarum non venerit, vel certè non in tempore. Is enim horæ illius distributione caret.

An inter Diuina Officia recitanda, loquendo, vagando, legendo parum quis modeste se gesserit. Qui perinde distributionibus carere debet, ac si absens fuisset.

An quis ex tabellæ in sacristia affixæ præscripto monitus, inseruire, & assistere Episcopo, Missam, aut Vesperas celebranti, id minimè præstiterit. Ob quam causam eius diei distributionibus priuatur.

An

An item Canonici ex eodem tabellæ præscripto, Missam, uel vesperas per se ipsi celebrare omiserint ijs diebus, quibus ad sancitam nostram Constitutionem debent; et an etiã Mansionarij suis tẽporibus, muneris sui partes præstiterint. Alioquin pro intermissi officij ratione distributionũ parte Episcopi iudicio plectatur. A

Tit. de Diuin. off. §. Cum Prouincialis.

An cum Missa pro defunctis cantatur, & huic, & conuentuali item Missæ quis interfuerit. Nam qui non interfuit, eius diei distributionibus priuatur.

SI QVEM in horum aliquo errantem Punctator obseruarit, eumq; sciens, & volens in libro suo notare omiserit, pro notatione qualibet prætermissa, tantundem statim distributionũ & ipse amittat, quantum notare prætermisit, ita vt eas non faciat suas, alia declaratione, aut sententia minime expectata; sciatq; idcirco se à nemine absolui posse, nisi eas restituat, vel se apud communis mensæ Massarium earum debitorem constituat. V

PVNCTATIONVM librum diligenter Punctator custodiat, & ita paratũ habeat, vt cũ Episcopus voluerit, cognoscere ipsius in suo munere diligẽtiã possit.

Et extremo quoque mense communis Mensæ O

Massa-

Massario omnium punctationes tradat.

ARCHIDIACONVS, *si is è Residentium numero erit, & præsens aderit, sin minus, quisquis Archidiacono inter Residentes primus succedit, huius à Punctatore prætermissi officij punctationes in librum suum referat; & eas, quæ à Punctatore debentur, distributiones, vel soluendas statim curet, vel communis mensæ Massario notandas præbeat.*

Quam rem totam ita diligenter gerat, vt ad mensis cuiusq; finem, quo Punctator quilibet punctatori succedenti munus suum relinquet, & suum ipse studium ac diligentiam Episcopo probare, & munus à Punctatore fideliter administratum referre eidem possit.

VT AVTEM *muneri suo commodius, ac fidelius satisfacere Punctator possit, Diuinis Officijs semper intersit.*

Cum verò illi ab ecclesia interdum abeundum erit, aliquem substituat, qui eius uices interim præstet, amissurus alioquin eius diei, quo abfuerit, distributiones.

QVAECVNQVE *distributionum mulctæ hac nostra*

stra Constitutione cuiusuis ordinis, ac dignitatis Clericis attribuuntur, eas omnes iam nunc in eorum vsum, atq; vtilitatem conuertendas decernimus, qui choro interérunt; vt quò maiorem quis, magisq; aßiduam operam in Diuini cultus muneribus, atque laboribus collocat, eò etiam maiora, vt par est, commoda sentiat.

DE SACRISTA.

SACRISTA ecclesiastica indumenta, sacra vasa, & omnia, quæ sibi commissa sunt, salua fore idonea sponsione caueat.

Eáq; quo debet studio, in armarijs custodiat.

Quolibet anno Archidiacono, ac Sacristiæ Massario Canonico mobilium omnium Inuentarium exhibeat.

Et sexto saltem quoque mense accepti, siquid pecuniarum eiusdem Sacristiæ nomine in eius manus peruenerit, & expensi libros cum illis recognoscat, vt Archidiaconum supra monuimus. Supra tit. de Archid. §. Ea uero.

IDONEVM Clericum in sacris constitutum pro-

Q pria

pria mercede conducat, cuius opera in Sacristiæ ministerio iuuetur.

Illud etiam prouideat, vt minores Clerici, qui octo numero esse debent, bonis moribus præditi sint, & sua munera in Sacristiæ, chori, & ecclesiæ ministerio accuratè exequantur.

Ipsos nunquã sine talaribus vestibus, cottisq́ ministrare permittat; quas eis quatuor, qui Sacristiæ sumptibus conducuntur, illius Massarius fructibus clericatus sanctorum Dariæ, & Chrysanthi à nobis eidem Sacristiæ hac de causa vnionis iure adiuncti, comparare debet.

Eas verò vestes, cottasq́ idem Sacrista semper asseruet; nec illis alio tempore eos vti permittat, quàm cùm in ecclesia ministrant.

Quemcunque non obedientem, vel aliquid contra bonos mores agentem viderit, nec ab eo monitus, resipuerit, statim eius nomen ad Decanum deferat, vt eum, qua par erit pœna, afficiat, ea ratione, quam illi præscripsimus.

Supra tit. de Decan. §. Decanus.

DVM IN ECCLESIA *manet, cottam nunquam exuat.*

Aquam benedictam singulis saltem hebdomadis innouandam curet.

Candelas, cereos, uinum album, cui nihil sit aquæ permixtum, hostias, ceteraq; omnia Diuinis Officijs necessaria paret.

OLEVM ad lampadis vsum, quæ ante sacratißimam Eucharistiam lucere perpetuò debet, à Canonicorum mensæ Maßario, ex veteri consuetudine, quotannis sibi tradi studeat.

Operamq; det, vt ceteræ quoq; lampades, quæ in eadem ecclesia certis diebus aliorum sumptu accenduntur, de more lumen præbeant.

SINGVLIS diebus ecclesiæ ministros ad horas canonicas campanæ signo pro temporum ratione, vt ab Archidiacono sibi præscribetur, conuocari curet.

Atq; cum omnes ecclesiam ingreßi, & in Sacristia cotta induti sunt, campanula signum det, quo sibi eo tempore chorum ingrediendum omnes intelligant.

TABELLAS tres de Mißis, & alijs Diuinis Officijs à nobis præscriptas, publico loco idem in Sacristia collocet. Supra tit. de Archid. §. Tabellas.

Studeat illas ab omnibus, quorum interest, omnino seruari.

Librum etiam habeat, in quo & qui suis muneribus defuerint, & qui vices illorum suppleuerint; nomina eorum in dies singulos notet, eumq; hebdomadis singulis Archidiacono tradat.

QVONIAM *verò ex pijs defunctorum voluntatibus nonnullæ Missæ in ecclesia Cathedrali celebrandæ sunt, ad quas celebrandas ob tenuem, vel incertam eleemosynam Sacerdotes non facilè haberi possunt; idcirco ab eodem Sacrista pia legata omni studio exigi, resq; aut pecunias eo nomine relictas, de Archidiaconi, ac Sacristiæ Massarij consilio, tot Sacerdotibus ad Missæ sacrum celebrandum Tridentini Concilij auctoritate erogari iubemus, quot illis eleemosynis commodè sustentari possint.*

Trid. sess. 25. c. 4. de refor.

ALTARIA *omnia pro temporis, ac solemnitatum ratione decenter ornet.*

Eiusq; coloris vestes Sacerdotibus celebraturis in dies singulos exhibeat, quæ pro ecclesiæ ritu sanctorum, vel temporum celebritati conuenient.

Idq;

Id'q; tunc maximè efficiat, cum Episcopus Missæ sacrum, & Vesperarum officium solemni ritu celebrabit; uel alia Pontificalia munera publicè obibit.

IN EO curam etiam præcipuam ponat, vt eæ vestes, ornamenta, cetéra'que linea indumenta, quibus vel Clerici vestiuntur, vel Altaria ornantur; neq; lacera, neq; sordida sint.

Ea verò Missalia Sacerdotibus ad sacrificij vsum proponat; quæ nuper Pij. V. Pont. iussu edita sunt.

CALICES ab omni parte integros, & bene inauratos hebdomadis singulis in pelui ad hoc tantum parata ablutos proferat.

In purificatorijs item, & corporalibus lixiuio frequenter abluendis ea seruet; quæ in Constitutione de Missarum celebratione præscribimus. Const. de celeb. Miss. §. Vestes.

SACRAS vestes, quas sacerdotibus in singulos dies proponet, neminem induere permittat, nisi cum è Sacristia eius iussu ad Missam celebrandam illi exeundum erit.

Quo tempore det operam, vt clericus talari ve-

ste, cottaq; indutus Sacerdoti semper praeat, atq; ad Altare ministret.

PLVRES duobus Sacerdotes eodem tempore sacrificij causa, vestibus sacris indui ne sinat.

Quos ita compositè, decenterq; vestiri, atq; ornari studeat, vt à tanti sacrificij dignitate cultus non abhorreat.

IN ALTARI omnia parata sint, antequam sacerdos eò accedat, cereus, vrceoli cum vino, & aqua recenti, peluicula, & candelae accensae; quae ne minores sint, quàm esse decet.

QVOTIES aliquis, hora sibi ad sacrum faciendum praescripta, praestò non erit, toties Sacrista alium statim adhibeat, qui illud in tempore faciat, eleemosyna ei negligentis impensis tributa.

Const. de Eccl. §. Sacristiā. PARVVM Altare, ac labellum, quod etiam in Constitutione de ecclesijs in vniuersum praecipimus, in Sacristia habeat, vt Sacerdotes ante Missam ad illud orare, ad hoc autem manus abluere possint.

Vana colloquia, iurgia, turbas, laicos in Sacristia nullo modo ferat, nec per ecclesiam deambulationes, mendicantium vagationes, nec alia, quae Con-

Constitutione eadem à quibusuis ecclesijs amouendà esse iubemus. Const. de Eccl. ibid.

QVAECVNQVE ad ecclesiarum, Altariumq; ornatum pertinentia, illa ipsa Constitutione generatim sancimus, ea is in Cathedrali multò magis exequi studeat; efficiatq; ut ecclesia undequaq; nitore, splendoreq; religioso semper fulgeat.

OLEA, quæ in hebdomada sancta alijs ecclesijs de more distribuuntur, si ei huiusmodi munus Archipresbyter demandarit, ea, ratione sibi ab illo præscripta, semper exhibeat, idq; gratis.

QVAE in publicis, priuatisq; processionibus agendis, & in funeribus prosequendis seruanda, Archidiaconi, & Archipresbyteri officijs, muneribus'ue adiunximus, eadem is quoque ab omnibus diligenter præstari curet.

DE SACRAMENTIS.

SEPTEM Sacramenta à Christo Domino instituta, quibus ab ecclesia docemur omnem gratiam ab ipso Redemptore nostro in ara crucis fide-

libus

libus acquisitam, in eos, diuersa tamen ratione, deriuari; studeant omnes Sacerdotes, praesertim Parochi, quanta possunt conscientiae puritate, ministrare; ne, dum illis ad aliorum salutem utuntur, sibi ipsi aeternam perniciem comparent; cum grauissimi facinoris non solum ille se reum faciat, qui mortali aliquo peccato inquinatus, ea suscipere, sed etiam qui conficere, uel ministrare non veretur.

Quare etsi sola Eucharistiae sumptio, aut celebratio Missae, praeter contritionem internam, peccatorum etiam confessionem necessariò requirat, vt est in Tridentino Concilio declaratum; nemo tamen peccati mortalis conscius, sacramentum vllum tractare deberet, nisi praeter contritionem internam, quae necessaria semper est, Sacramentalem etiam confessionem, ante illius administrationem, adhibuerit.

Tri. sess. 13 cap. 7. & can. 11.

EA QVOQVE *Sacerdotes omnes, ex Catechismo praesertim Romano, tenere, scireq; studeant, quae ad cuiusq; sacramenti materiam, & formam attinent.*

Quare eos praesertim Ecclesiasticos libros, quos nostra de Vita, & honestate clericorum Constitutione praescribimus, in manibus frequenter habeant.

Const. de uita, & ho. cleric. §. Omnes. 1.

Ritus

Ritus verò, & cærimonias, quæ in sacramentorum ministratione adhibendæ sunt, ex Rituali libro nuper in lucem emisso petant; vt, cum iurisdictionis potestate sibi facta vel ad curandas animas vocabuntur, vel quocunque necessitatis casu aliquod sacramentum ministrabunt, vel alium quemcunque sacrum ritum exercebunt, vnam, & eandem regulam habeant, quam sequantur.

CVM AVTEM *Sacramentum aliquod ministrare volent, ante omnia cottam, & stolam induant.*

Ac deinde illius vim, & naturam breui sermone fidelibus aperiant; quò illud maiore cum pietate, ac reuerentia suscipiant.

Nec quemquam ad sacramenta quælibet, seu compatres ad Baptismum, vel Confirmationem, seu alium quemcunq; ad Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, vel aliorum sacramentorum susceptionem accedere permittant, nisi armis prius depositis; & externi etiã cultus, vestiumq; modestia dignam sacramentis reuerentiam præseferant.

QVACVNQVE *diei, uel noctis hora animarum curatores ad sacramenta infirmis ministranda vocabuntur*

buntur, nullam tam ſanctis pietatis officijs ſuſcipiendis moram interponant.

CAVEANT, *ne quicquam in ſacramenti cuiuslibet miniſtratione verbo, vel ſigno, directè, vel indirectè petant. Sunt etenim ſacramenta non ſolum absq; aliqua ſimoniæ labe, uerum etiam absq; vlla auaritiæ ſuſpicione conferenda.*

Quòd ſi quis ei aliquid pietatis ſtudio vltro dare voluerit, id illos accipere non vetamus. Vt enim clericos hoc quoquo modo procurantes vehementer damnamus; ita laicos id ſponte ex charitate facientes valde commendamus.

SACRA *Chriſmatis, Catechumenorum, & Extremæ vnctionis olea vaſculis ſingula argenteis, vel ſaltem ſtamneis, aliquo ſigno inter ſe diſtinctis, repoſita à Parocho in eccleſia, priora quidem duo in baptiſmalis fontis operimento, quod ciborium vocant; tertium uerò in aliquo alio honeſto, & tuto loco ſeruentur; ne in alium vſum efferri inde poßint, quàm in eum, ad quem inſtituta ſunt.*

Neq; Extremæ vnctionis oleũ in priuata domo, etiam ad breue tempus, Parochus retineat; niſi cum

ægroti

ægroti hominis necessitas vrget, & ipse domum habet ab ecclesia longe distantem.

CVM aliquem ante Pascha, ut ecclesiastico Decreto statutum est, ad olea ab ecclesia matrice accipienda mittet parochus, ne alium mittat, quàm Clericum in sacris constitutum. C. Omni tẽpore. de consecr. dist. 4.

Quòd si Laico homine uti necessitas aliquando coget, vasculorum capsulam ei apertam tradat, & cum sera ita aptata, vt ab ecclesiæ matricis ministro, post tradita olea, obserari possit; nec aperiri subinde alia claue queat, quàm una illa, quam apud se Parochus retinuit.

IDEM olea ad Baptismi confectionem aliunde ne petat, quàm ab ea ecclesia, à qua iure, vel consuetudine petere debet. Aliàs tam præbentes, quàm accipientes arbitratu Episcopi punientur.

Quilibet autem ecclesiæ Rector, qui huiusmodi olea præbendi facultatem habet, in libro ad hoc parato singulis annis eorum nomina describat, quibus ea præbuerit.

SI QVIS Parochus, anno nondum peracto, quo olea noua ab Episcopo consecrantur, aliquod eo-

rum sibi deesse cognouerit; uel alterius Parochi oleo interim utatur, uel si habere illud aliunde non possit, tunc non nihil olei nondum sacrati sacrato, antequam totum absumatur, infundat; ut sic totum sacrum euadat.

Quicquid verò ex his oleis anno transacto superfuerit, in lampadibus comburendum ponat; ac deinde nouis oleis ab Episcopo cõsecratis semper utatur.

Omnium autem Sacramentorum claues Parochi penes se habeant.

DE BAPTISMO.

CVM SINE Baptismi Sacramento, quo originalis, & actualis culpa diluitur, fomes mitigatur, gratia confertur, fides datur, ac Dei filij renascimur, nemini ad vitam æternam aditus pateat; proinde facilis, & omnino parata debet esse eius ministratio.

Quare præcipimus, vt qualibet parochialis ecclesia, vel alia, quæ ob loci distantiam, Episcopi auctoritate, huius sacramenti ministrandi facultatem

tem obtinet, Baptismalem fontem habeat, in quo aqua benedicta semper clausa seruetur.

FONS baptismalis, ex marmore confectus sit.

Conspicuo, & idoneo loco positus.

Decenti operimento ita contectus, vt aqua benedicta à sordibus pura seruetur, & à nemine ad superstitionem asportetur.

Et ea forma in pyramidem constructo, vt inhærere illi nullus facile possit.

In quo operimento armariolum etiam fiat, vbi coniuncta sacri olei vascula, tum Chrismatis, tum Catechumenorum, & alia ad Baptismi ministrationem necessaria, reponantur; appenso etiam inferius vase vitreo ad aquam in infantium caput infundendam.

BAPTISMALIS aqua singulis annis non solum in Pascha Resurrectionis Domini, &, ubi moris est, in Pentecostes celebritate; sed etiam si quando aliàs intra annum putresceret, renouetur. Idq; fonte bene purgato, & aqua vetere in sacrarium effusa.

Quod sacrarium, vbi commode fieri potest, iuxta fontem, ex lapide, ad eiusdem fontis altitudinem,

et bene tectũ cõstruatur; ac in illud præter alias sacras ablutiones, aqua etiam ex infantis baptizandi capite effluens recipiatur; vt aqua, quæ in fonte relinquitur, purior hac ratione seruetur.

De cõsec. dist. 4. c. Si qs de alio. CAVEANT *Parochi, ne infantem alio chrismate vngant, quàm illo, quod eo ipso anno ab Episcopo consecratum erit.*

BAPTISMALEM *aquam, uel sacrum oleum à Laico homine nullo modo tangi permittant.*

Neue linteola, quibus baptizati caput extergitur, in profanum aliquem vsum conuertant; verùm si bene purgata in aliquem sacrum usum decenter conuertere non possunt, comburant, & eorum cineres in sacrarium proijciant.

NE BAPTISMVS *infantibus cum salutis periculo differatur; illis, qui in hanc curam incumbere debent, omnino præcipimus, vt natũ infantem intra octauum diem in ecclesia baptismum suscipere curẽt.*

Quòd si mortis periculum illi immineat, domi quidem baptizetur; eo tamen seruato ordine, vt vir fœminæ, Clericus Laico in baptizando præferatur; nisi fortè fœmina propter consuetudinem bapti-

pti-

ptizandi aptior ad hoc munus videatur.

Si infans superuixerit, efficiat Parochus, vt ad solemnes baptismi cærimonias peragendas in ecclesiam deferatur.

Qua in re, ne in sacramenti forma iterum, etiã sub conditione, pronuncianda, irregularitatem incurrat, ea diligẽter seruet, quæ in Catechismo Romano ea de re tradita sunt; vt scilicet perquirat, an ritè baptizatus sit infans.

Quòd si diligenti facta inquisitione, dubium sit, an sit baptizatus, tunc licebit sub conditione baptizare. C. de quibus, de Bapt. & eius eff.

Quæ inquisitio etiam in illis requiritur, qui expositi sunt, licet appensum collo scriptum habeant, quo baptizatos illos esse significetur, vt Concilium Prouinciale declarat. Med. 3. tit. de Bapt. In fan. expos.

Quare vt minus sit in hac re periculi, doceat frequenter parochus cum alios, tum præsertim obstetrices legitimam baptizandi formam.

CETERA *item omnia, quæ in hoc Sacramento ministrando, sanctorum nominibus imponendis, compatribus deligendis requiruntur, & quæ ad baptismũ*

rite

rite conficiendum pertinenti, ex Rituali libro Sacerdos quilibet baptizaturus petat.

Catech. Rom. de Bapt.

QVIA Compatres infantium ad christianam religionẽ instituendorum curã, quæ à parentibus sæpe deseritur, suscipere debent; idcirco Parochi caueant, ne illos, qui suæ salutis adeo negligentes sunt, vt ne fidei quidem Symbolum, Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam teneat, compatres asciscant; facto etiam, si quando opus videbitur, de illis periculo, an fidei rudimenta norint; neq; item illos, qui anno, quo ad infantes suscipiendos vocantur, Paschæ saltem tempore, ex ecclesiæ præcepto, peccata sua confessi non sunt, & sacram Eucharistiam non sumpserunt.

Tri. ses. 24. c. 2. de ref. Matr.

Compatrum verò numerus maior ne sit, quàm est Concilio Tridentino definitus; vt in infantis scilicet cuiuslibet baptismo vnus tantum sit, siue uir, siue mulier, qui illum teneat, uel ad summum vnus, & vna.

Mediol. 1. part. 2. tit. Quæ pert. ad Bapt.

CONSVETVDINEM, quæ à Conc. Prouinc. detestabilis appellatur, baptizatos infantes in altari collocandi, vt eos inde muneribus compatres redimant,

penitus

penitus abrogamus.

ANIMARVM curatores librum habeant, in quo baptizatorum, parentum, ac suscipientium nomina, diemq́; & annum natiuitatis, et celebrati baptismi, ad formulam à nobis ad finem libri huius vulgari idiomate traditam, describant.

Librum verò apud se custodiant; ex quo libro eorum, qui annuatim accesserint, exemplum, cui propria manu subscriptum sit, vnà cum confirmatorũ, & matrimonio iunctorum similibus exemplis, quotannis mense Iunio, Vrbani parochi Vicario generali, seu alij ab Episcopo ad id muneris delecto; Diœcesani Vicario suo foraneo tradant. Qui ea exempla ad Episcopum in Archiuio Episcopali seruanda mittant.

PVERPERAS monendas curent; vt cum primum domo post partum egredientur, ecclesiam adeant gratias Deo acturæ, & benedictionem à Sacerdote accepturæ.

Neue ante peractum annum, ob suffocationis periculum, infantem secum, uel cum nutricibus in lecto cubare permittant. Quòd si urgente aliqua ne-

cessitate aliter aliquando agendum sit, tunc inter infantem, & mulierem lactantem aliquid aptè interponatur, quod necis periculum omnino prohibeat.

DE CONFIRMATIONE.

CONFIRMATIONIS Sacramentũ, quo fideles per Baptismum regenerati, ad fidem palàm confitendam, nomen Christi glorificandum, aduersusq́ omnes carnis, mundi, & diaboli impetus resistendum robustiores euadunt, Parochi die saltem Dominico eum diem præcedente, quo illud ab Episcopo publicè ministrandum esse perceperint, populum in ecclesia congregatum doceant, quanto studio, ac religione suscipi debeat; & monita nostra de tanti sacramenti susceptione de scripto pronuncient, & explicatè euulgent; vt & illi, qui confirmandi erunt, & eorum compatres eius uim, ac salutares fructus, & quæ in eo suscipiendo seruanda, quæ ue fugienda cognoscentes, animo bene parato ad illud piè percipiendum conueniant.

Catech. Roma. de sacr. Conf. *CVIVS QVE præterea Parochi cura sit, ne quis intra*

tra Parochiæ suæ fines habitet, qui vel hoc sacramentum suscipiat ante septennium, quo fere rationis vsus affulgere incipit, vel illud in longius tempus, quàm par est, differat.

N*E verò Sacramentum hoc, cuius ea vis est, vt characterem imprimat, aliquando iterari contingat; neue etiam inter quos spiritualis cognatio Concilij Tridentini iure per illud contrahitur, matrimonia fiant; librum habeat, in quo Confirmatorũ, & Compatrum nomina, diemq́; & annum, iuxta formulam à nobis vulgari sermone ad huius libri extremum præscriptam, notet.* Tri. ses. 24. c. 2. de ref. Matr.

Ex quo libro depromptum exemplum annis singulis Parochus quidem in ciuitate degens, Vicario generali, qui verò in Diœcesi manet, Vicario suo foraneo tradat. A quo illud mense Iunio ad Episcopum mittatur, in Archiuio Episcopali seruandũ, quemadmodum de baptizatis iussimus. Const. de Bapt. §. Animarũ.

DE SACRA EVCHARISTIA.

SANCTISSIMVM Eucharistiæ Sacramentum propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, Redemptor noster CHRISTVS IESVS ad sempiternam suæ passionis memoriam, ad nostræ uirtutis incrementum, & ad diuini amoris spiritum fouendum, aliaq; cælestia dona impertienda instituit. Quare studeat Parochus, vt cùm aliàs semper, tum præcipuè maioribus anni solemnitatibus, quotiescunq; fideles ad sacramenti huius susceptionem accesserint, non intima solum religiosi animi pietate, sed externa etiam cultus, vestitusq; modestia, humili genuflexione, armis depositis: viris à mulieribus certo quodam ordine seiunctis, quam par est, animi religionem, atq; reuerentiam ad tantum sacramentum afferant, in quo ipse gratiarum omnium auctor CHRISTVS continetur.

Conft. de Præd. §. Crebris.

Doceatq; fideles, quod alibi monuimus, eò vberiores fructus ex hoc sacramento se percepturos, quò illud frequentius sanctè susceperint.

CVM VERÒ illud pueris, vsum pleniorem rationis haben-

habentibus, erit primo ministrandum, aliquot ante dies vel Parochi, vel ij Confessarij, quibus illi solent cõfiteri, ijs omnibus instruant, quæ ad eius uim, & præstantiam cognoscendam, & pietatem excitandam magis necessaria videbuntur.

IN QVIBVS ecclesijs hoc sanctissimum sacramentum de more hactenus seruatum est, earum Rectores etiam in posterum hac ratione diligenter seruẽt; vt scilicet tres consecratæ particulæ, octauo quoq; die renouandæ, in paruulo illo Tabernaculo, cuius saltem cuppa argentea sit, seruentur; quod in alio item maiore Tabernaculo ligneo, decenti opere, & auro, ac panno serico intus ornato, veloq; superposito, & claue bene munito, in medio altari magno collocetur; cui lampas semper accensa præluceat.

EDICTVM de sacra Eucharistia in Pascha sumenda, & de Confeßione, ut est ecclesiæ præceptum, Parochi quotannis tertio Quadragesimæ die Dominico, frequenti populo in ecclesia enuncient. Cap. Omnis: de pœnit. & remiss.

Edictum item alterum aduersus contumaces primo post Pascha Dominico die promulgent, quo Prouincialis Concilij decretum secuti, illorũ contumaciã Med. secũdum. tit. 1. decr. 13.

Pasto-

Pastorali, & canonica primũ adhibita monitione coercemus, nisi ad præscriptum tempus præstiterint, quod omnino debent.

Ineat autem Parochus vnusquisq; de Vicarij foranei consilio rationem, qua certò, & facile cognoscantur ij, qui Paschæ tempore non cõmunicarint.

Quæ omnia subinde Parochi ea ratione, quam hac ipsa de re post Edicta nostra vulgari lingua adiecimus, Episcopo referant.

Si quis in duabus parochijs habitare intra annum solitus est, in ea Eucharistiam sumat, in qua maiorem anni partem habitat. Qui si in altera communicare voluerit, id ei non vetamus, modò Communionis illic perceptæ fidem à Parocho illo subscriptam alteri ostendat.

Qui verò sex tantum mensibus in aliqua Parochia, reliquo autem anni tempore in altera versatus est, eius ecclesiæ Parocho, in qua non communicarit, se in altera Parochia communicasse, testimonio Parochi alterius, à quo Communionem suscepit, in scriptis facto, ostendat. Quod nisi triduo post octauam Paschæ præstiterit, non secus habea-

tur, ac si Communionem non acceperit.

CONCVBINARIIS, *Fœneratoribus, blasphemis, & huiusmodi alijs publicis peccatoribus absolutionem sacramentalem, vel Communionem ne præbeant, etiã si testimonio scripto se alteri confessos fuisse ostendant; nisi per dies aliquot ita manifesta emendatæ vitæ signa dederint, vt aliorum scandalo satisfecisse videantur.*

Qui si ecclesiæ fortaßis ingressu interdicti sunt, significent populo, eos interdicti vinculo ob resipiscentiam esse solutos.

SI QVEM, *publice alijs minime notum, ipsi priuatim in alicuius peccati statu versari sciuerint, priuatam adhibeant correctionem.*

Qua si ille contempta ad Eucharistiæ sacramentum nihilominus accesserit, eum inde nullo modo reijciant. C.Omn. de poenit. & remiss.

Si verò eius peccatum ex confeßione tantum sacramentali cognouerint, non modo illum à communione reijcere, sed ne corrigere quidem extra confeßionem licere sibi intelligant.

SI QVIS *autem sit alius, qui & si in peccato publico*

blico minimè versatur, est tamen eiusmodi, vt de eo Parochus meritò suspicetur, vel non fuisse confessum, vel non ei, cui iure debebat, aliquot ante Pascha diebus eum priuatim moneat, vt Confessionis testimonium confessarij subscriptione munitum sibi ostendat. Alioquin Communionem illi se negaturum edicat, perinde, ac si confessus minimè fuisset.

N*VLLI Parocho, eo Paschæ tempore alterius Parochiæ incolis, absq; Parochi proprij, vel Episcopi facultate sacram Communionem præbere vllo modo liceat.*

Sed & populum ante illius administrationem publicè moneat, vt si quis eorum, qui adsunt, parochiæ suæ incola non est, propriam parochialem ecclesiam adeat, in qua, vt est canonum sanctio, sacram Eucharistiam sumere debet.

C.Omnis. de pœnit. & remiss.

Cuius præcepti confessarius quilibet, tam Secularis, quàm Regularis, suos pœnitentes priuatim moneat.

C*VM frequentior populi multitudo ad Eucharistiam vel Paschæ, uel alio anni tempore conueniet, sacram ei Communionem Sacerdos non inter celebrandum*

brandum ministret, sed extra Missæ sacrificium, vel sacris vestibus, vel cotta saltē, & stola indutus.

Si verò communicātium exiguus numerus erit, eis Communionem tribuat in ipsa Mißa, post sanguinis sumptionem, eodem sacerdotali amictu indutus.

Hoc institutum perpetuò seruet, nisi aliquando necessitas postulet, vt extra Missæ sacrum vni, duobus, aut paucis quibusdam illa præbenda sit; tuncq́ id faciat cotta, & stola amictus.

ILLVD *verò in frequentioris præsertim populi Communione attentè videat, ne, si ipse iam Mißam perfecit, reliquias Sacramenti, quæ in calice, vel custodia superfuerunt, post Communionem ministratam, quamuis illæ exiguæ sint, ipse accipiat; sed illas in diem alterum à se sumendas asseruet.*

Si autèm inter celebrandum Communionem ministrarit, ipse reliquias, quæ supersunt, uel ante ablutionem, vel si commodius id futurum est, cum ablutione accipiat.

QVO *Paschæ tempore, si quis facultatem à Parocho petet in alia ecclesia communicandi, illam ipse,*

nisi graui, & iusta de causa, ne concedat.

Quare ne facultatem negando, petenti morosus, aut infensus videatur, illum, cum causam non admodum idoneam cognouerit, ad Vicarium foraneũ in Diœcesi, in Ciuitate ad Episcopum mittat.

Quoties autẽ vel Parochus, vel Vicarius foraneus hoc petẽti iusta de causa dandũ existimarit, quẽ tamen dubitet fraude aliqua vsurum; cum hanc illi copiam faciet, iubeat simul eius, in cuius ecclesia communicarit, Eucharistiæ sumptæ scriptum ad se testimonium quàmprimum deferri.

Eam verò multo etiam diligentius exigat ab eo, quem extra Diœcesim casu aliquo contigerit Communionem sumere.

quam nisi Parochi, à quo Communionem se sumpsisse affirmat, subscriptione, & eius loci Episcopi sigillo munitam ostenderit, perinde ac si non communicasset, tam hic, quàm ille communicare in sua Parochia iubeatur.

Alioquin ea pœna afficiantur, quæ ijs debetur, qui Paschali tempore non communicant.

CVM AD ægrotos hoc Sanctissimum Sacramentum

tum deferetur, Parochi certis campanæ ictibus, & ad primam noctis præcedentis horam, & mane ante Communionem Confratres sodalitatis Corporis Christi, aliosq; fideles conuocent. Qui psalmum Miserere recitantes, ipsum cum luminibus, & umbella tectum pie prosequantur. Tintinnabuli etiam sonitu præmisso, quo reliquus populus ad reuerentiam excitetur.

NE VERO sacerdote ad ecclesiam redeunte, inane vasculum adorari contingat; si ægrotus ab ecclesia non longè abfuerit, tūc duæ sacræ particulæ deferantur; si verò ad loca valde distantia, accessuq; difficilia sacramentū deferendum est, unam tantum sacram particulam in vasculo, cū capsula, vel in serico saculo bene occluso à collo pendente, cuiusmodi ad reponenda corporalia sacerdotes vtuntur, cautè, & reuerenter gestet; ne sacramentum aliquo casu in terram decidere possit.

Eo autē ministrato, stolam, & cottam exuat, ac luminibus extinctis, deposita umbella, sine campanæ sonitu, occultato vasculo ad ecclesiam reuertatur.

OMNIBVS, qui sacramentum prosecuti fuerint,

sacerdos ad ecclesiam reuersus, quadraginta dierum Indulgentiam nostra auctoritate, præter alias hac de causa à summis Pontif. concessas, enunciet.

SAEPIVS *ipsius sodalitatis fratres Parochi hortentur, vt in eo religioso instituto persistant; ceterisq́ pijs officijs, quemadmodum Constitutione de cura piorum operum demonstrauimus, sedulò incũbant.*

In qua autem ecclesia huiusmodi sodalitates defuerint, summo pietatis studio populum ad eam instituendam excitent.

Atq; vt alacriori animo tam pium opus amplectantur, Indulgentiam ab ijsdem Pontificibus corporis Christi Domini sodalitatibus concessam, sæpe inter concionandum explicent.

Med.3.tit. de ijs, quæ ad sacr. Euchar. pert. §. Quæ præterea.

Hæ vero sodalitates non nisi ijs Regulis vtantur, quas Episcopus iudicarit ab earum forma non esse alienas, quæ Prouincialis Concilij auctoritate editæ sunt.

RITVS, *& cærimonias, quibus diuinum hoc Sacramentum in ecclesia, vel in ægrotantium ædibus est ministrandum, Sacerdotes e Rituali libro petant.*

PRAE-

PRAETER illa, quae eodem Rituali libro de sacra Eucharistia fidelibus ministranda traduntur, Parochi illud etiam seruent, vt in purificatione eis praebenda, non nisi vitreis vasis, in hunc tantum usum in Sacristia seruandis, vtantur.

CVM Sanctissimum Sacramentum Orationis causa, quae Quadraginta Horarum vocatur, perspicuè, ut adoretur, in altari proponitur; dent operam, ut duo saltem clerici altari semper assistant, atq; ex orantium sodalitate certus hominum numerus per vices ad orandum adsit; vt sine intermissione suppliciter preces fundantur.

Idq; non alio, quàm diurno tempore fieri liceat.

Haec autem Quadraginta Horarum oratio, si quando extra constituta tempora facienda sit, id absque Episcopi concessione minimè fiat.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

EX OMNIBVS Christiani cultus officijs, quibus Deus à fidelibus colitur, nullum est, quod cum sacrosancto Missae sacrificio conferri possit; quo

quo viuifica illa, & salutaris Hostia, Christus Dominus, semel in cruce Deo patri immolata, quotidie ad eius passionis memoriam, & vberrimos in nos fructus deriuandos, sacerdotis ministerio offertur: Quare, vt illud à Sacerdotibus rite peragatur, atq; à populo religiosè colatur, hæc seruanda præcipimus.

SACERDOS *Missæ sacrum facturus, se in tam alti mysterij meditationem antea colligat, propriamque conscientiam diligenter discutiat; & si mortali aliqua culpa se adstrictum cognouerit, non prius ad illud faciendum accedere audeat, quàm sacramentali confeßione conscientiæ labem diluerit.*

Tri. sess. 13. cap. 7. & can. 11.

Neq; sola contritione se fecisse satis putet; nisi confessarij facultas omnino desit. Quòd si necessitate vrgente Sacerdos absq; præuia confeßione celebrauerit, quàm primum confiteatur.

SINGVLIS *saltem hebdomadis idoneo Sacerdoti, quem vt suo ipse arbitrio eligere ex approbatis possit, concedimus, peccata sua confiteatur; nisi ob peccati mortalis culpam frequentius id facere oportuerit; ut purior ad rem diuinam faciendam accedat.*

Medio. 1. part. 2. tit. quæ pert. ad celebr. Missæ.

In qua tamē cōfessarij electione illud uideat, ut unū

ali-

aliquē, quasi uitę suę ducē, eligat; qui nō solū doctrina, sed multo ēt magis uitæ, morūq; grauitate prędítus sit.

Nec ea tantum perpendat, quæ cōmissionis pecca ta dicuntur; sed etiam omissionis; cum hæc in sacerdotis vitam pro officio suo tum grauiora, tum multo plura, quàm in ceteros homines, cadere possint.

ANTEQVAM *Missæ sacrum faciat Matutinum saltem officium recitet.*

Manus deinde lauet.

Tum ad huius altissimi sacrificij meditationem conuersus, Orationem recitet, quæ ante Missæ celebrationem præmittenda notatur.

Vestibus postea sacris sese induat, eas orationes pronunciando, quæ vnicuiq; sacerdotali indumento accommodatæ sunt.

Facto denique Missæ sacro, orationes priuatim fundat, ad gratiarum actionem pertinentes.

Quas preces omnes ex Cærimonialibus ritibus Missæ iussu nostro editis petitas, et tabella descriptas ad Ordinarij Romani præscriptum, in Sacristia affigi certò aliquo loco iubemus.

QVAE *sunt ad Missæ celebrationem necessaria,*

cande-

candelæ accensæ, cereus, vinum, quod semper sit purum sincerum, & recens, atque vbi fieri potest album; aqua item in vasculis cum peluicula, prius in altari parata sint, quàm è sacristia ad celebrandum Sacerdos egrediatur.

Cui egredienti Clericus cum Missali libro præeat; qui talari veste, cottaque indutus in omnibus ei ministret.

Cuius etiam cura sit, ne laici, ac præsertim mulieres, proximè ad altare accedant. Quas & à choro prorsus prohibeat, cum in eo Missa, vel alia Diuina officia celebrantur.

OMNIA in Missa recitanda, ante ipse priuatim, attentè, & cõsideratè legat, signisque distinguat, ne ad altare cum scandalo hæsitet.

Quæ à populo audienda sunt, clara, & aperta uoce pronunciet.

In legendo nimiam celeritatem, aut tarditatem ne adhibeat.

Quæ secreta uocantur, secreto pronunciet.

Nec ea memoriter proferat, præsertim sacrum canonem, in quo vel minimus error habendus est

non leuis.

Q*VASCVNQVE cærimonias, quas in Missæ celebratione peracturus est, siue genua flectendo, siue caput inclinando, siue ad populum se vertendo, siue manus iungendo, & disiungendo, aut extendendo, siue cruce signando, siue Sacram Eucharistiam, vt adoretur, sustollendo, mouendo, aut frangendo, ita aptè, & moderatè gerat, vt & tanto officio satisfaciat, & qui adsunt, è sacris illis actionibus Diuini sacrificij sanctitatem magis agnoscant.*

B*IRRETVM, quod nō prius deponere debet, quā ad Altare peruenerit, subbirretum, sudariolum, & id genus alia nullo modo super Altare ponat.*

Linteolum ad manus abstergendas antea paratum habeat, nec Altaris mappa ad hoc vtatur.

M*ISSALE, & alia, quæ in Missæ sacrificio adhibentur, ab Altari non amoueantur, neq; lumina extinguantur, nisi absolutò prius Euangelio, quod post benedictionem populo datam recitari solet.*

N*VLLA alia ratione Missæ sacrum celebret, aut in eo celebrando alias cærimonias, vel orationes adhibeat, quàm quæ in Romano Missali, nuper ex Tri-* Trid. sess. 25. de In. lib. &c.

V dentini

dentini Concilij decreto Pij V. Pont. iussu edito, explicantur. Ad quam formam Cærimoniale Missæ edendum nuper curauimus; quo & ritus in Missa seruandi, & præcipuæ quædam explicationes earum rerum continentur, quæ accidere inter celebrandum frequentius solent.

H*AEC VERO, quæ de Missæ sacrofaciendo præscripsimus, omnia quilibet Sacerdos optimè teneat, antequàm primæ suæ Missæ sacrificium faciat.*

Neq; ad illud faciendum accedat, nisi cærimoniarum Magistro, cærimonijs rite perficiendis instructus satis videatur, & ab Episcopo illius faciendi facultatem acceperit.

Eleemosynas item, quæ nonnunquam in primæ Missæ celebratione importunè exigi solent, omnino prohibemus, ad Concilij Tridentini præscriptum.

Trid. sess. 22. Decr. de Obser.

Et quo die Sacerdos hoc sacrificium fecerit, ludis, comessationibus, alijsq; inanibus oblectamentis omnino abstineat.

Const. de eccl. §. Deambulatio nes.

E*CCLESIAE Rector ita populum ad sacrosanctũ hoc sacrificium semper venerandum inducat; vt viri aperto capite, mulieres verò, vt in Constitutio-*

ne

ne de ecclesijs decernimus, velato, & in omni Missæ parte, utroq; genuflexo, præterquàm in Euangelio, semper intersint.

Vtq; cum campanæ sonitu ad eam se vocari audierint, seipsos colligant, atque si alicuius mortiferi peccati se reos cognouerint, illud ex animo doleant, firmumq; emendandæ vitæ propositum suscipientes, veniam à Deo humiliter petant; quò uberiorem fructum ex illo propitiatorio sacrificio capere posint.

VESTES, panni linei, & quæcunque alia ad hoc sacrificium necessaria, ecclesiarum Præfecti studiosè curent, ut munda, integra, nitidaq; sint; & calices vndiq; integri, ac optimè inaurati; quò facilius in Missæ celebratione purificatorio abstergi posint.

Eos etiam in singulas hebdomadas ab aliquo Sacerdote, vel à Clerico in sacris constituto, lixiuio lauari studeant.

Corporalia itē, ac Purificatoria ita sæpe abluantur, ut illa trimestri quolibet spatio, hæc autem octauo quoq; die nitida, & ab omni labe munda sacrificio adhibeātur. Quæ purificatoria minora, quam par est, aut etiam maiora ne sint, & crucem omnia in aliqua

parte habeant acu elaboratã, qua ab alijs linteolis facile distinguantur.

Ablutio verò in pelui ad hoc tantum parata fiat; & aqua illa statim in sacrarium proijciatur.

Corporaliaq; sic abluta, uel eiusdem in sacris constituti Clerici, uel certè sacrarum virginum manibus amylo inducenda tradantur.

Cetera indumenta linea, Albæ, Amictus, Cottæ, Mappæ, & id genus alia, quibus uel Clerici vestiuntur, uel altaria ornantur, neq; immunda, neque lacera sint; sed omnia ad diuini cultus dignitatem accommodata conspiciantur.

D*IVERSORVM colorum vestes, & paramenta, quorum varium vsum sancta ecclesia, pro solemnitatum, temporum'q; ratione proponit, Rectores omnino habeant; & alij, si fieri potest, Sacerdotes quicunq; proprium Altare obtinentes; quibus in Diuinis officijs peragendis vtantur.*

Med. secũdum. tit. 2. Decr. 20. S*ANCTVM ecclesiæ institutum sequentes, iubemus, ne aliquod ex illis uestimentis, vel quodcunq; aliud ornamentum sacro vsui addictum, in Missæ sacrificio, vel quibusuis Diuinis officijs prius adhibeatur,*

beatur, quàm illud Episcopus, vel alius, qui eam auctoritatem habeat, Ecclesiastico ritu benedixerit.

IN QVIBVS ecclesijs plures Sacerdotes sunt, certo interposito temporis interuallo, ad populi commodum Missas celebrent.

Quòd si aliquando eodem tempore, ex necessitate aliqua, plures simul celebrare cogentur, tanto loci spatio inter se distent, & ea uocis moderatione vtantur, vt alter alterum perturbare non possit.

MISSAE sacrum in priuatis ædibus, atq; omnino extra ecclesias, aut ad Diuinum tantũ cultũ dicata oratoria, quæ sint ab Episcopo designata, atq; probata, ne fiat, vt est in Concilio Tridentino sancitum. Trid. sess. 22. de Obser. &c.

Quin & Altaria, quæ extra ecclesias, vel oratoria, & quæ sub dio extructa sunt, Rectores earum ecclesiarum, intra quarum fines illa posita sunt, demolienda curent; nisi aptè, & decenter septa sint, atque munita, quod est Concilij Prouincialis sanctione cautum. Medio. 1. part. 2. tit. de eccl. &c.

Quibus autẽ huiusmodi oratoria concessa erunt, etiã tunc raro illis ad Missæ sacrũ audiendum utantur,

tur, cum non nisi ex graui necessitate publicarum ecclesiarum frequentationem relinquere conueniat.

ALTARE, in quo res sacra fiet, ea sit ratione constructum, quam in Constitutione de ecclesijs definiuimus.

Neque ex ligno, sed ex lapidibus potius componatur.

Ac si imago Crucifixi in altari nulla est depicta, crux aliqua in eius medio collocetur, eo saltem tempore, quo Missæ sacrum celebratur.

Et cum in Altari non consecrato celebrandum erit, ei Altare lapideum portatile consecratum Sacerdos ita imponat, vt quam potest minime superemineat; nec illud vlla ex parte confractum, et eius magnitudinis, vt longitudo vncijs octo, latitudo sex vncijs saltem protendatur.

Med. 3. de ijs, q pert. ad Miss. sacrif. §. Quo ad Episcopalis.

IN QVO Altari Episcopus aliquo die Missæ sacrum fecerit, eodem die, sine eius concessu, Sacerdos aliquis ne in eo faciat.

Med. 2. tit. 2. decr. 6.

CVM in Missæ conuentualis celebratione sacra Eucharistia sustollitur, Parochus distinctis campanæ ictibus signum dari iubeat, quo etiam qui ab eccle-

ecclesia absunt, ad tantum mysterium recolendum excitentur.

QVILIBET Sacerdos Missam conuentualem diebus Dominicis celebraturus, antequàm eam inchoet, aquam salæ aspersam benedicendo innouet, eaq; populum ex ecclesiæ ritu aspergat.

IN ECCLESIIS collegiatis, quemadmodum & in Cathedrali, cum Missa aliqua pro defunctis quacunq; ex causa erit celebranda, Missa etiam conuentualis, vt est Missalis noui, ac Prouincialis Concilij præscriptum, omnino cantetur.

Med. 3. de ijs, quæ pr. ad Missl. sacrif. §. Miss.

DOMINICIS, & alijs festis diebus, qui ecclesiæ præcepto coluntur, nullus Diæcesanus Sacerdos intra fines alicuius Parochiæ Missam celebret, vel ad ipsam celebrandã campanam pulset, antequàm in Parochiali ecclesiã sermo, quem Parochus in Missæ sacro ad populum habere debet, peractus sit; nisi Parochus ipse id certa constituta hora ante fieri permittat; ne oues, quæ spirituali cibo à proprio pastore pascendæ sunt, vllo modo ab eius sermone diuertantur.

Mediol. 3. ibidem. §. Quod Prouinciali.

Missam verò & ipse Parochus hora conuenienti,

nienti, & populo commoda celebret.

Mediol. 3. ibid. §. Ne patena.

IN MISSAE celebratione nunquã patena, sed crux, vel alia sacra imago fidelibus offerentibus osculanda præbeatur.

NVLLVS Sacerdos, nobilis etiam alicuius uiri, aut mulieris gratia, ianuis clausis, uel ante lucem, uel post meridiem, uel hora alia populo minimè commoda, sacrum faciat.

Neue sacris vestibus indutus in Altari, vel in Sacristia diutius, quàm par est, consistat.

Neue sacrum inceptum repetat.

Neue concionem intra Missam ad populum habendam intermittat.

Siq; aliquis ita temerarius erit, ut etiam ui, vel imperio, vel minis Sacerdotem cogere tentet ad aliquid horum prætermittendum, vel immutandũ, grauem ipse ea in re culpam, & sacrarum Constitutionum censuras illi nostra auctoritate edicat.

IN SOLEMNI Natiuitatis Domini nostri celebritate prima Missa media nocte, altera in aurora, tertia iam claro die celebretur.

In quibus Missis, duos sacros Calices in Altari para-

paratos Sacerdos habeat, in quorum altero consecret, in altero uerò ablutionem reponat; quam in tertia tantum Missa, post sanguinis sumptionem, percipiat. Sicubi verò id commodè fieri non potest; illud semper videat, ne ablutio ante Missam tertiam sumatur.

ECCLESIARUM *Præfecti nulli Sacerdoti, etiam Regulari, celebrandi onus in suis ecclesijs tribuant, cui Episcopus ibi celebrandi facultatem non concesserit. Quem si Præfecti ipsi procedente tempore vel minus honestè, vel à cærimoniarum ecclesiasticarum ritibus recedentem viderint, Episcopum ea de re statim moneant.*

Mediol. 1. part. 2. quę pert. ad Missæ celeb.

SI SACERDOS *peregrinus celebrare alicubi voluerit; is in nullam ecclesiam, etiam Regularium, ad sacrum faciendum recipiatur, nisi prius ille ostensis literis dimissorijs, & in sacris Missæ ritibus perficiendis probatus, facultatem celebrandi ab Episcopo impetrarit.*

Tri. sess. 23 cap. 16. de Refor. & Med. tertiū. tit. de ijs, quæ pt. ad Miss. sacrif. §. Quod primo.

PUBLICE *excommunicati, seu interdicti, aut ab ecclesia Diuinorum Officiorum tempore, vt sacri Canones iubent, expellantur; aut Sacerdotes*

Cap. quod in te. de Pœnit. & remiss.

eis præsentibus, ab ipsorum officiorum celebratione cessent.

Nec non quandocunque id ab Episcopo alicuius contumaciæ, & culpæ publicæ causa illis iniunctum erit.

VBI CERTO *Missarum celebrandarum numero, pijs defunctorum voluntatibus, ea eleemosyna constituta est, vt per illius tenuitatem Sacerdotes id muneris suscipere non possint; ne propterea hoc fructu fidelium illorum animæ omnino priuentur, ea res ad Episcopum primo quoq; tempore deferatur, ut ex Tridentini Concilij decreto, quod magis in ea re expedierit, constituere possit; uel legata huiusmodi, quæ minoris momenti sunt, uniendo; vel ad numerum minorem Missas redigendo; vel aliqua alia ratione & testatorum piæ voluntati, & Sacerdotum indigentiæ, quoad eius fieri potest, consulendo.*

Tri.sess. 25 c.4. de Ref.

DE

DE POENITENTIA.

POENITENTIAE Sacramentum, quo omnes animarum languores sanantur, amissa gratia reparatur, vires debilitatæ instaurantur, occlusumq; post baptismum lapsis cælorum regnum aperitur, quicunq; Sacerdotes fidelium confessiones audient, quanta possunt diligentia, ministrare studeant; ne tam necessarium sanandis animabus medicamentum imperitè, vel imprudenter ministratum, non modò suscipientibus non prosit; sed ipsis etiam ministrantibus perniciem afferat; iuxta illud Euangelicum; Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt. Matth. 15.

Quare præter ea studia, quæ mutuis collationibus in suis quiq; clericalibus conuentibus, publicisue lectionibus, vbi illæ habentur, ad Sacramenti huius administrationem cognoscendam omnes simul adhibent, priuatim etiam librum aliquem quotidie legant, ex ijs, quos præscripsimus in Constitutione de vita, & honestate Clericorum; vt hac ratione lepram à lepra discernentes, debitam Satisfactionem, (Const. de Vita, & honest. Cler. §. Omnes. primo.)

salutariaq; consilia confitentibus adhibenda cognoscant; ne vel nimia seueritate illos in desperationem inducant, vel nimia facilitate ad denuo peccandum alliciant.

Tri. sess. 23 cap. 15. Bul. Pij. v. oct. id. Augu. 1571.

N*VLLVS Sacerdos, siue Secularis, siue Regularis confessionibus audiendis temere sese exponere audeat, qui vel parochialem ecclesiam non obtinet, vel Episcopi examine probatus non erit; etiam si puerorum sint confessiones, vel eorum, qui frequentem confitendi vsum habent; cum aliquando contingat cum venialibus aliquod etiam mortale peccatum in hoc hominum genere inueniri.*

Sciatq; si secus fecerit, non solum peccatum se in ea re admittere, sed ipsam etiam confessionem irritam plane, ac nullam esse, & pœnis item grauioribus mulctandum; nisi forte extremæ necessitatis casus contingat. Non est autem extrema necessitas existimanda morbus quilibet, etiam grauis, vbi Parochus adest, aut confessarius alius ab Episcopo probatus.

J*LLVD quoq; attente videat, etiam is, qui Parochiæ præfectus, vel examine probatus erit, quã à*

Pontifice, uel ab Episcopo, & in quos potestatem absoluendi acceperit, ne si ultra fines suos auctoritatē extendat, confeßiones irritæ sint, & nullæ.

Nec existimet quisquā, cum ex Pontificij Iubilei conceßione, siue ab Episcopo à peccatis, uel censuris absoluendi potestatem habet, posse se in irregularitate dispensare, nisi id expresse sit in auctoritate sibi data concessum.

Med. 3. de ijs, quæ ad Pœnit. sacra. &c. §. Ne Confessarij.

QVOTIES Parochi cum aliàs per annum, tum maximè Paschæ tempore, quo frequentior est fidelium ad confeßiones concursus, Sacerdotes alios ad partem laboris adhibendos sibi iudicabunt, sciant non posse ad hoc audiendarū confeßionum munus Sacerdotem quemlibet à se vocari; sed Parochos dumtaxat, Parochorū ue coadiutores, et eos deniq; qui sunt ab Episcopo omnino probati; non autem eos, qui vel nondum sunt probati, vel probati sunt tantum ad certum tempus, aut ad certorum solum hominum confeßiones audiendas; nisi ad id peculiaris Episcopi facultas accedat.

CVM POENITENS facultatem alij Sacerdoti confitendi à Parocho petet, in ea concedenda se difficilē

ne

ne praebeat, imò verò facilem, & benignum; eò etiã magis, si inter pœnitentem, & Confessarium lis aliqua, aut controuersia intercesserit.

In qua conceßione si quando Parochus difficilior erit, eam Vicarius foraneus uel à Parocho concedendam curet, vel ipse petenti libenter concedat. Ita tamen, ut uel Vicarius, uel Parochus non eam facultatem concedat cuiuis Sacerdoti confitendi; sed tribus, aut quatuor magis idoneis propositis, vnum aliquem eligendi facultatem pœnitenti tribuat. Cuius facultatis concessae testimonium etiam, si opus erit, scriptum det, Confessario exhibendum.

FACVLTAS *alteri Sacerdoti confitendi ut nemini est difficile neganda; ita cum Parochus iustam de aliquo suspicandi causam habebit, verè ne confessus sit, vel quòd inimicitias ille cum aliquo gerat, uel in concubinatu diù versatus sit, vel similem aliam ob causam; ei facile ne credat, affirmanti se esse confessum, nisi scriptum ostenderit Confeßarij manu signatum, qui id testatum faciat.*

QVAE *ad huius Sacramenti naturam pertinent, in ijs ne quicquàm peccetur, religiosè, sancteq; cauendum*

dum est. Quare Cõfessarius Sacerdos ne in absolutione, verba illa solemnia EGO TE ABSOLVO, *quibus in verbis posita est Sacramenti huius forma, vllo vnquam modo prætermittat; vtaturq́ præterea ijs precibus, quæ de ecclesiæ sanctæ more laudabiliter ei formæ adiunguntur. Quæ omnia ex Rituali libro petita memoriæ ad uerbum omnino commendet, vt eadem ab omnibus, ac certa absoluendi formula seruetur.*

Quod verò ad materiam pertinet, ne cuiquam absolutionem impertiat, qui veniale saltem aliquod peccatum in confeßione non expresserit.

Quare primæ ætatis pueris, quos sicut rationis expertes, ita nullam culpam admisisse certis interrogationibus cognouerit, ne absolutionem sacramentalem adhibeat.

Eisdem, cum per ætatem idonei iam ad Cõmunionem suscipiendam videbuntur, ita eius Sacramenti vim, & dignitatem aperiat, ut qua debent religiosa animi pietate, ad illud accedant.

AVDITVRVS *confeßiones, studeat Confessarius breui oratione se se ad hoc ministerium præparare, ac pæni-*

pænitentem Deo suppliciter commendare. Quam orandi rationem cum reliquis, quæ ad huius Sacramenti ministrationem requiruntur, e Rituali libro cognoscat.

HABEAT de hoc Sacramēto, ad hominum salutem instituto, frequentem ad populum sermonem; ac de singulis illius partibus Contritione, Confessione; ac Satisfactione, sæpe salutariter moneat.

Neq; solum publicam, sed etiam, vbi opus erit, priuatam institutionem adhibeat; præsertim erga rusticorum filios. Qui quoniam reliquo anni tempore pascendis armentis, aut gregibus occupati, vix in vnum locum cogi possunt, hyemali tempore illos ad se uocatos, qua debet charitate, instituat.

Const. de Præd. §. Crebris.

VSVM Sacramenti huius frequentem omnibus semper commendet, ut in Constitutione de Prædicatione monuimus.

Et Confessionis generalis faciendæ utilitatem, quibus conuenire iudicarit, suadere meminerit.

Et si quem ad pium bene uiuendi institutum capessendum animatum cognouerit, in huius institutionem, peculiarem quandam curam, tanquam pa-

ter spiritualis erga filium fidei suæ commissum, adhibeat.

S C I A T ante omnia Confessarius pœnitentis statum, adhibitaq; diligenti inquisitione illius peccata ex probato aliquo libello de hac examinandi ratione conscripto, cognoscat. In quibus hæc in primis inquirere meminerit.

An excommunicationis sit vinculo irretitus; tuncq; quanta huius censuræ uis, quam'que sit timenda, pœnitenti ostendat.

An Hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectũ nouerit, quem Episcopo, vel Inquisitori non denunciarit; quod nostro Edicto monuimus.

An Iuramentum in iudicio falsum susceperit in gratiam, vel damnum alicuius; quod scelus quò grauius est, eò magis detestari illud oportet; vt nos peculiari hac de re Edicto monuimus, annis singulis, primo mensis Maij Dominico die, ab omnibus ecclesiarum Præfectis in ecclesia promulgando.

An contractum aliquem exerceat ex ijs, quos propter vsuram, uel vsuræ suspicionem non esse sine

certo consilio suscipiendos, nostro Edicto monuimus.

An pia defuncti legata persoluere distulerit.

An in peccati alicuius occasione versetur, quam non dimiserit.

An aduersus aliquem inimicitias animo gerat.

An dies festos, quo debet pietatis studio ad eam rationem colat, quam nostro Edicto præscripsimus.

An filios suos doctrinæ, & vitæ Christianæ præceptionibus, quæ parentum cura præcipua esse debet, instituendos studeat. Vbi locus erit opportunus illud in primis monendi parentes, vt & vespertinā orationem, quod alibi monuimus, priuatim cum filijs quotidie frequentent, & diebus festis ad ecclesiam eos mittant, secumue deducant, ad prima Christianæ disciplinæ rudimenta addiscenda.

Const. de Prædic. §. Eosdem.

An fidei articulos, quantum satis est, norit? Quos si ignorari ab illo compererit, absolutionem ei ne impertiat; nisi prius eos saltem articulos, quantum in ipso erit, didicerit, qui ritu ecclesiæ solemni celebrari frequentius solent, Trinitatis, Christi salutis nostræ auctoris, Eucharistiæ, & similium.

In

In qua institutione ipse inprimis, quam pro temporis ratione potest, vel in confessione, vel extra confessionem operam collocet.

N*E PVTET is, qui confessiones audit, satis se muneri suo fecisse, si pœnitentis conscientiam diligenti hoc examine discutiat; nisi illum etiam ad futuras peccatorum occasiones salutaribus propositis remedijs præmuniat, atq; ad Christianæ pietatis studia, quanta potest diligentia, promoueat.*

Quare quibus potest, certam aliquam sæpius intra annum confitendi, sacramq; Eucharistiam sumendi rationem præscribat.

Ex tam multis bene, pieq; institutis sodalitatibus, vnam aliquam proponat, quam cuiq; aptiorem, magisq; conuenientem viderit.

Libellum item aliquem spiritualem comparandum ei proponat, cuius lectione animum frequenter pascat.

Orationis quoq; tum vocalis, tum mentalis modum aliquem ei tradat, quem in dies singulos sequatur.

Proderit nonnunquam, ijs præsertim, quibus est

frequens in idẽ peccati genus recidendi usus, audita Confessione, absolutionem paulisper differre; ut hac dilatione ad Deum seriò conuertantur, & maiorem animò de peccato dolorem concipiant.

Medio. 1. part. 2. tit. Quæ pert. ad sacram. pœnit.

CANONES *pænitentiales in promptu habeat, ut de veterum Canonum seueritate pænitens ab eo admonitus, eò libentius iniunctam sibi pænitentiam suscipiat, quò mitius secum agi cognoscet; & maiorem in futurum ad peccata fugienda diligentiam adhibeat.*

C. Pœnitentes. & C. In capite. cũ seq. d. 50. & Trid. sess. 24. c. 8. de refor.

QUI PUBLICE, *& in multorum conspectu crimen commiserit, quo alios offensos esse manifestum illum pænitentia publica, pro criminis ratione, afficiat; nec eam in secretam commutet, nisi ut ea commutetur, expedire Episcopus iudicarit.*

Med. 3. de ijs, quæ ad pœniten. sacr. &c. §. Si pœnitẽtibus.

POENITENTIAS *pecuniarias aut sibi, aut ecclesiæ suæ attribuendas directè, vel indirectè ne Confessarius cuiquam iniungat.*

Nec si à pænitente pro Missarum celebratione eleemosyna aliqua sit eroganda, eam sibi dari ullo modo petat.

Neq; pecuniam ab ipso pænitente accipiat illius nomi-

nomine alteri restituendam, nisi cum rei necessitas id omnino postularit; ne scilicet, si per alium restitutio fiat, confitentis peccatum prodatur. Quod nihilominus ita cautè faciat, vt à creditore epe cuntiæ à se restitutæ scriptum testimonium accipiat, quod deinde pœnitenti tradat; ne vlla in his, aut similibus, auaritiæ significatio alicui præbeatur.

CVM VOTORVM *commutandorum facultas concessa alicui est; attentè is videat, ne illa in alia minora pietatis opera conuertat; sed vel in maiora, Deoq; gratiora; vel saltem quæ tantundem valeant. Quod vt fieri facilius posit, diligenter sumptus, labores, molestias, & incommoda omnia expendat, quæ pœnitens perpessurus esset, si votum illud, quo se Deo sanctè obstrinxit, sine aliqua commutatione soluendum esset.* Mediol. 3. ibidem. §. Episcopus.

CONFESSIONES *in priuatis ædibus, nisi necessitas cogat, ne audiantur.*

Mulieres uerò nec ante solis ortũ, nec post occasum, nec ĩ abditis ecclesiæ locis, sed ĩ apertis; et in ijs sedibus, quæ cratẽ ferreã inter Sacerdotẽ, et confitentẽ ita lo-

catam

catam habeant, vt mutuum aspectum impediat.

Et si quam habitu nimis composito ornatam, vel fucatam ad confeßionem accedere viderit, modestiæ illam externæ, quæ internæ index esse debet, admoneat.

Quæ verò domi propter infirmitatem audiendæ erunt, patenti cubiculi ostio audiantur, nisi secus fieri loci angustia cogat.

Const. de sacra Euchar. §. Edictum.

QVADRAGESIMAE tempore, cum Parochi Edictum nostrum de Sacramentali Confeßione, atque Communione in Paschæ solemnitate sumenda, vt Constitutione de sacra Eucharistia iußimus, fidelibus euulgabunt; eos etiam moneant, vt in hebdomadam sanctam peccata confiteri non differant; ne & temporis angustia, & confitentium multitudine oppressi, præcipiti festinatione peccata cum magno animarum periculo audire cogantur.

STVDEAT Parochus scire, an ex parochia sua aliquis lecto ægrotus decumbat. Neq; dum vocetur, expectet; sed ad eum magno charitatis studio quamprimum accedens, ea cum illo sedulò tractet, quæ ad animæ salutem pertinere cognouerit.

Horte-

Horteturq; vt ante omnia pœnitentiæ medicamento conscientiam sanet.

Quem autem nouerit vel molestia, vel diuturnitate ægritudinis premi, sæpius inuisat, ac tum sententijs ex sacra scriptura petitis, tum patientiæ Sanctorum exemplis illum consoletur.

Deinde ingrauescente morbo, ad alia conferenda sacramenta deueniat, eaq; ministret, ad Ritualis libri præscriptum.

IN EO *in primis magnam curam ponat, vt medici, qui ægrotis in lecto decumbentibus curandis adhibentur, ea seruent, quæ ex Sacrorum Canonum auctoritate, atq; Pij V. Pont. Constitutione, nostro Edicto iubentur. Quod singulis annis primo Augusti Dominico die, quibuscunq; ecclesiarum Rectoribus tàm in Vrbe, quàm foris in ecclesia promulgari iubemus.*

C. Cum infirmitas, de Pœnit. & remiss. Bul. Pij. v. die 8. Mar. 1566.

Cum autem Parochorum aliquis, aut alius omnino Confessarius siue Secularis, siue Regularis ad confeßionem ægroti audiendam vocabitur, testimonium scriptum, quod ex eadem Constitutione, de audita confeßione, vel ex iuxta causa in aliũ diem dilata,

dilata, dare debet, libenter, & in tempore det, ad formam eodem nostro Edicto præscriptam; ne illum ægrotantem Medici hac de causa deserere cogantur.

Tri.sess. 14 c. 7.

SANCTISSIMIS Patrum sententijs, Conciliorum decretis, & ecclesiæ consuetudine perpetuò seruatum est, vt à quibusdam grauioribus criminibus, præter illa, quorum absolutio Summo Pontifici reseruata est, Episcopus Sacerdotibus in sua Diœcesi commorantibus, soluendi potestatem inhibere poßit. Quamobrem nonnullorum grauiorum casuum exemplum, quorum nobis absolutionem reseruamus, singuli Sacerdotes Confessarij ad Sacramentalis Confeßionis munus probati, penes se habeant, & in Sacristia palam expositos sæpe legant; ne ignoratione facultatis sibi concessæ, excepto mortis articulo, fines in absoluendis pœnitentibus egrediantur. Quod & Regulares, vt est à sancta Sede Apostolica declaratum, seruare omnino debent.

Med. 3. de ijs, quæ pt. ad pœnit. sacr. &c. §. Ne Confessarij.

HAEC VERO à casibus reseruatis absoluendi facultas soli Cathedralis ecclesiæ pœnitentiario concessa est. Qui tamen in absoluendo ab ea ratione non discedat,

ſcedat, quam à nobis præſcriptam accipiet.

Quam etiam rationem ſequentur ij omnes ſeu Vicarij foranei, ſeu etiam alij, quibus eadem abſoluendi facultas concedetur.

SI HORVM crimen aliquod in pænitente Confeſſarius compererit, illum nullo modo abſoluat, ſi à caſibus reſeruatis abſoluendi facultas conceſſa ipſi non erit.

Sed in eius ſalute procuranda eam tunc rationem ineat, vt ille in Vrbe ad eccleſiæ Cathedralis Pœnitentiarium; in Diœceſi verò ad Vicarium foraneum mittatur; qui ſi facultatem delegatam habuerit, ipſe abſoluat; ſin minus, ad Epiſcopum mittat.

Quòd ſi pænitenti graue id fore viderit, eam ipſe ſua ſponte curam ſuſcipiat; ut illius nomine caſum vel cum eccleſiæ Cathedralis Pœnitentiario Confeſſarius Vrbanus, vel Diœceſanus cum Vicario ſuo foraneo conferat; cuius conſilio, & auctoritate, ſi illam habuerit, pænitenti abſolutionem impertiat, eamq́ pænitentiam iniungat, quam ille præſcripſerit.

Si verò casus eiusmodi erit, à quo absoluendi ne delegatus quidem Sacerdos potestatem habet, Episcopum is, vel Confessarius ipse certiorem faciet; nihilq́, nisi de eius consilio, aut præscripto statuat. Qua in re illud semper videat, ne sacramentalis confeßionis sigillum violetur.

DE EXTREMA VNCTIONE.

SICVT Clementißimus Redemptor noster diuina in alijs Sacramentis præsidia fidelibus parauit, ut se integros ab omni grauiore spiritus incommodo conseruare possent, dum viuerent; ita Extremæ Vnctionis sacramento finem vitæ, tanquam firmißimo quodam, cælestiq́ præsidio muniuit. Quare in eo ministrando omnem curam Parochus ponat, & quæ hac Constitutione præscribimus, quàm diligentißimè perficiat.

SACRAMENTVM hoc igitur is ministraturus, Pœnitentiæ, et Eucharistiæ Sacramenta omnino, si fieri potest, præmittat; vt sit ægrotus ad id suscipien-

ſcipiendum magis munitus.

Quòd ſi Sacramenta alia propter loquendi, aliorumq́ ſenſuum amiſſum vſum, præmitti non poterunt, non idcirco Sacramentum hoc illi denegandum erit, ſi ante ſenſuum amißionem vel expreſſis verbis illud petierit, vel illius ſumendi aliquam ſignificationem dederit.

Med. tertiũ. tit. de his, quę pt. ad ſacr. extre. Vnct.

H*VIVS Sacramenti adminiſtrationem in tempus ne differat, quo ægrotus animam agere incipit; ſed adminiſtret, dum moribundus ſenſu, & ratione uiget.*

Nec verò cuilibet ita ægrotanti hoc Sacramentum præbeat.

Non pueris rationis vſu, & culpa carentibus, cum ſit illud ad peccatorum reliquias ſanandas inſtitutum.

Non amentibus, & furioſis, niſi lucida habuerint interualla, & tunc Sacramenti huius ſumendi piam voluntatem aliquo modo oſtenderint.

C*VM AD ægroti domum acceſſerit, verbis chriſtianæ charitatis plenis illum prius conſoletur, ſuauiq́ oratione moneat, vt pro ægritudine, quam Diuina voluntate patitur, gratias optimo parenti Deo*

agat, mentem à terrenis auocet, atq; ad æternam fælicitatem pijs omnibus paratam erigat; Redemptoris clementißimi Christi misericordiæ maximè fidat, quàm se vnà cum ijs, qui adsunt, ei deprecaturum polliceatur.

Explicet, quam uim hoc Sacramentum habeat tum ad salutem animæ, tum ad corporis valetudinem, si hæc ad Diuinam gloriam profutura sit.

Deinde, vt illum ita laborantem precibus communibus iuuent, præsentes hortetur.

AD SACRAMENTI huius ritus conficiendos Clericum aliquem, quantum fieri potest, secum omninò adhibeat; cuius opera in litanijs, alijsq; precibus recitandis, & Sacramento ministrando iuuetur.

NON vtatur alio oleo, quàm ex oleæ baccis expresso, & ab Episcopo consecrato; quòd est huius sacramenti materia.

Et dum illa formæ verba ad singularum partium vnctiones ipse pronunciat, PER ISTAM sanctam vnctionem, & suam pijßimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid oculorum, siue narium, &c. vitio deliquisti; ne Clericus, aut

alius vngat; vel contra, dum ipse vngit, alius illa formæ uerba proferat.

Caueat etiam, dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, inungit, ne in altero tantum, sed in vtroq; inungendo totam formam absoluat.

A**EGROTVM** *in vna eademq; ægrotatione semel tantum vngat.*

Sæpißime vero inuisat, neq; deserat, quamdiu in eo sensus vigere cognouerit.

Sed eo extremo tempore illum maximè præsens iuuare studeat, ex quo vno vel præmium, vel supplicium pendet æternum.

Q**VONIAM** *renum vnctio ad Sacramenti huius essentiam non est necessaria, in mulieribus omnino omittatur; in viris autem adhibeatur, si commodè fieri potest; sin minus, renum loco pectus circa regionem cordis vngatur.*

E**X ALIIS** *corporis partibus, quæ vngi solent, si quæ ægro desit, ut manus, pes, uel alia quælibet, vnctionem adhibeat propinquiori parti.*

S**I SACERDOS** *est vngendus, ceteræ partes eadem ratio-*

ratione in eo, vt in alijs, vngantur; manus verò sunt non interius, sed exterius ungendæ; cum in ordinis sacerdotalis susceptione interius unctæ iam sint.

Const. de sacr. §. Sacra.

INFIRMORVM *oleum non domi, sed in ecclesia, vase ab alijs sacris Oleis separato, asseruet; nisi, vt iam præscripsimus, grauis alicuius ægrotatio aliud postulet, cũ parochialis domus ab ecclesia longe abest.*

DE FVNERIBVS, ET EXEQVIIS.

QVEMADMODVM *Parochi omni charitatis officio ægrotis, præcipuè in mortis articulo, præsto esse debent; ita etiam, cum mortem obierint, pijs eos precibus, atq. officijs ab ecclesia institutis, tum in exhibenda sepultura, tum in exequijs, vel anniuersarijs peragendis, ab eisdem iuuari christianæ pietatis officium postulat.*

IN HIS *igitur omnibus pactiones quascunque, vel exactiones illicitas omnino effugiant; ne ea, quæ ad pietatem, atq. ad suffragia defunctis præstanda instituta sunt, ad quæstum potius spectare videantur.*

Mediol. 3. tit. de Paroch. §. Cũ nullũ.

CVM *Parochus aliquem ex suis incolis vita defunctum.*

ctum cognouerit, statim pro illius anima psalmum De profundis, cum oratione pro defunctis recitet.

Atque campanæ sono, quo Aue Maria significetur, populum moneat, ut pro defuncti salute precetur.

SI TANTA sit defuncti egestas, ut hæredum suorum expensis humari non possit, eum Parochus uel suis, uel piorum eleemosynis sepeliendum curet.

Ab alijs verò non ita egenis, si quid vltro oblatum erit, id accipere non vetamus.

Quinimo & pias consuetudines, & alias iure debitas erogationes seruandas curabimus. Med. 2. tit. 2. decr. 17.

ILLAM quoque vel præcipuam Parochi curam esse volumus, ne à Corporis Christi sodalitatibus pro sepulturis, quas inter se communes habere solent, quicquam à Confratrum hæredibus importune, vel illicitè petatur.

Neque alijs eas concedi permittat, qui saltem per mensem ante mortem Societatibus his ascripti non erunt.

Cetera ad cæmeteria, ac sepulturam pertinentia ea ratione seruet, quam in Constitutione de ecclesijs decreuimus. Const. de eccl. §. Sepulchra. & §. Cœmeteria.

In

In his uerò si quis deliquerit, pœna iure contra simoniacos constituta plectetur.

C*AVEAT* *item, ne quis repentino aliquo morbo oppressus, nimis festinanter tumuletur; sed tamdiu super terra inhumatus custodiatur, donec de illius morte certior esse posit.*

C*ANDELAE*, *ac cerei, qui hæredum sumptibus exequijs celebrandis eo animo adhibentur, ut uel inter deferendum cadauer in Clericorum manibus, uel in ecclesia ad feretrum, & Altaria ardeant, omnes accendantur, luceantq́; donec exequiæ sint persolutæ.*

Med. secũdum. tit. 2. decr. 16.

Eos autem cereos, qui ex huiusmodi officijs superfuerint, Parochus, alijq́. Clerici, ad quos pertinent, uel in proprium, uel in ecclesiæ usum, suo arbitratu, conuertere posint.

I*N PROSEQVENDIS* *funeribus Clerici omnes pia, consonaq́ uoce psalmos, ceterasq́ orationes decantent.*

Fugiant quæcunque colloquia, uanos oculorum aspectus, & id genus alia.

Sic omnia attentè, compositè, ac religiosè agant, ut etiam populus pro defuncti anima ad orandum magis excitetur.

Sicq́

Sicq; orantes defuncti corpus, quoad in sepulcro conditum fuerit, prosequantur.

Exequias neq; noctu, neque ante solis ortum, neq; solemnis Missæ tempore agant. Medio. 1. part. 2. tit. de fun. & exeq.

Ritus autem, ac cærimonias huiusmodi officio persoluendo accommodatas, è Rituali libro accipiant.

DEFVNCTVM *aliquem in funere absq; Episcopi scripta facultate laudare, nec Parochis, nec alijs quibuscunq; liceat.* Mediol. 1. ibidem.

Sed tantum eos, qui adsunt, ad aliquas preces pro defuncti anima fundendas, atq; ad humanam miseriam agnoscendam, & ad uigilandum hortetur; ut cum Dominus venerit, inueniat eos vigilantes.

SACERDOTES *omnes, cum Episcopi mortem audierint, primo quoq; tempore Missam pro eius anima, vt in Constitutione de ecclesia Cathedrali statuimus, celebrent.* Const. de eccl. Cath. tit. de Archidia. §. Quod ad Episcopi.

Et Parochi populum ad preces Deo fundendas tum pro Pastore defuncto, tum pro pij, vigilantisq; successoris electione hortentur.

ANNIS *singulis, quod ibidem decreuimus, postridie eius diei, quo omnium fidelium defunctorum officium,* §. Quod ad Episcopi. eod.

ficium, & Missa solemni ecclesiæ ritu celebrantur, Sacerdotes quoq; omnes Missæ sacrum pro suis Episcopis defunctis facere ne prætermittant.

CVM Parochum aliquem grauiter ægrotare contigerit, qui uicinior est Parochus, illum statim inuisat unà cum Vicario foraneo; ut & adhuc superstiti sacramenta ecclesiastica, ac reliqua christianæ charitatis officia exhibeant, & uita excedenti funeris debitum honorem unà cum alijs eiusdem regionis Parochis persoluant.

Qui non solum priuatim singuli sacrum pro defuncto faciant primo statim post obitum die; sed etiam decimo post proximè sequenti, Missam simul omnes solemni ritu pro ipsius anima celebrent.

Pro quibus officijs nihil liceat exigere.

Dum autem ægrotus Parochus ministeria sua per ægrotationem populo præstare non poterit, Vicarij foranei erit aliquem alium illius loco interim sufficere, donec uel ægrotus conualescat, uel, si uita excesserit, nouus Rector eligatur.

MISSAS, atq; horarias preces, quæ mensibus singulis, aut

aut aliàs intra annum pro defunctorum animabus, in Missali, & Breuiario nouo persoluendæ præscribuntur, ut Clerici studiosè statis temporibus persoluant, hortamur vehementer in Domino; neque hoc subsidio piorum animas, & sese indulgentiarum munere priuatos esse velint, quæ à Pio V. Pont. has preces recitantibus conceduntur. Bul. Pij.v. Sept. id. Iul. 1568.

A*NNIVERSARIA quoq; statis diebus celebrentur, ne obliuione aliqua, aut alia causa defunctorum animæ optato suffragio careant.*

Q*VICVNQVE beneficium aliquod ecclesiasticum obtinet, cui aliquod emolumentum ex donatione, siue legato, cum eiusmodi onere accesserit, ut Rector sæpius in anno Missæ sacrificium pro defunctis offerat, is Prouincialis Concilij decreto semel singulis saltem mensibus eam Mißam, quæ de defunctis dicitur, pro illius anima celebret, cuius causa emolumentum illud ecclesiæ venerit; nisi hoc ipsum ex aliqua obligatione frequentius facere debeat.* Med.2.tit. 2.decr. 5.

C*ONTROVERSIAS, quæ persæpe, non sine magno populi scandalo, in prosequendis funeribus inter Clericos tam Seculares, quàm Regulares, beneficia præ-*

Tri. sess. 23 cap. 13. de Regul. & Medio. 1. part. 2. tit. de fun. & exeq.

sertim curata obtinentes, oriri solent, amouere cupientes; Tridentini, Prouincialisq; Concilij auctoritate statuimus, ac declaramus, vt quilibet Parochus Secularis, uel Regularis, in cuius ecclesia mortuus erit sepeliendus, vnà cum Parocho, ex cuius Parochia effertur, domum mortui adeat.

Vbi peractis ab eius Parocho quibusdam orationibus ambo cotta, stolaq; induti, pares in eo comitando post feretrum progrediantur; quo etiam loco ceteri ipsius defuncti Parochiæ Clerici seculares incedant, digniori tamẽ loco ecclesiæ Cathedrali relicto.

Si verò alter Parochorum fuerit ecclesiæ præpositus, in latere digniori cum alterius ecclesiæ Parocho maneat; si dignitate pares erunt, ille è cuius Parochia funus effertur, digniorem locum teneat.

CRVCES autem funus prosequentium hoc ordine præferantur.

Vt scilicet dignior locus defuncti Parochiæ cruci tradatur.

Proximum teneat illius ecclesiæ crux, in qua sepelitur.

Tum

Tum reliquæ eo loco progrediantur, quem in processionibus funeralibus tenere consueuerunt.

Si verò harum ecclesiarum aliqua sub Regularium administratione erit, ipsiq; ad prosequendum funus accesserint, eum locum vnà cum sua cruce teneant, quem in generalibus ipsi processionibus tenere solent.

Is autem, qui ex Regularibus animarum curæ præfectus est, à reliquorum ordine seiunctus, ecclesiæ alterius Parocho sese adiungat.

Verum si Regulares non accesserint, sed seculares tantum Sacerdotes, eorum substituti, aderunt; tunc cruces ordine paulò ante præscripto deferantur.

Cvm fvnvs ad ecclesiam peruenerit, funebre officium ille ordinet, qui illi ecclesiæ præerit, ita tamen, vt ecclesiæ Cathedralis iura, priuilegia, & consuetudines non violentur.

Officio autem non absoluto, nemini Clericorum à funere discedere liceat; sed eo peracto, crucem quique suam ad ecclesiam propriam comitentur.

Cvm Defunctũ aliquem in Monialiũ ecclesia tumulari contigerit, tunc Parochus ille, in cuius parochia

ecclesia

ecclesia illa sita est, exequiarum officium ordinet.

CLERICI *tam Seculares, quàm Regulares, è quorum Parochijs defunctus effertur, si illum vsq; ad ecclesiam, in qua sepeliendus erit, non prosecuti erunt; sciant cereos, quos à defuncti hæredibus ad exequias celebrandas habuerint, suos se non facturos; sed alterius ecclesiæ Clericis, in qua sepelitur, esse tribuendos, nec vllam præterea eleemosynam recipi à se posse.*

EXTRA *Ciuitatem cùm de vno ad aliud oppidum cadauer deferendum est, Parochus, è cuius ecclesia cadauer effertur, illud vsq; ad suæ Parochiæ extremos fines prosequatur; quo in loco Parochus ille, in cuius Parochia corpus humandum erit, ad illud excipiendum præsto sit.*

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CVM ORDINIS *Sacramentum huc spectet, vt per illud in ecclesiæ ministerium ij assumantur, qui doctrina, & vitæ sanctitate Altissimo*

mo Deo inseruire, sacraq; munera persoluere, atq; in uia salutis populo lumen præferre valeant; idcirco Parochis enixe præcipimus, vt quoties à Vicarijs foraneis intelligent Episcopum sacras ordinationes statis ab ecclesia temporibus habiturum, quod duobus fere mensibus ante ordinum collationem illis significabitur, secundo Dominico die huiusmodi significationem statim sequente Edictum nostrum de conferendis ordinibus frequenti populo in ecclesia congregato euulgent.

Supplicationes, Litaniasq; vel intra ecclesiam, vel extra illius, vt moris est, ambitum eodem prosequente populo faciant.

Alia'que omnia in eo Edicto expressa diligenter exequantur; ne tantum ministerium alijs committatur, quàm ijs, qui vitæ sanctitate, doctrina'que in ecclesia Dei vtilem operam præstituri sunt.

EDICTVM illud, initiandorumq; nomina, cum in ecclesia euulgabunt, de eius Sacramenti dignitate verba aliqua faciant; tum ut si qui fuerint, qui aliquid aduersus illorum mores, vitamq; cognoscant, id charitatis zelo quamprimum Parocho suo indi-

care

care secretò non vereantur; tum etiam, vt hac ratione, & qui initiandi sunt, seu initiati iam erunt, ordinis dignitatem cognoscentes, eam viuendi rationem tenere studeant, quæ à suscepto gradu minimè sit aliena; & fideles ceteri intelligãt, quantum ecclesiæ ministris honorem tribui oporteat.

PAROCHI *Clericos sub sua cura degentes, de singulis, quæ ad clericalem viuendi rationem requiruntur, frequenter moneant; præsertim, è Cathechismo Romano, atq; ex ijs, quæ eodem Edicto comprehenduntur; vt, cum ad quemlibet ordinem suscipiendum accesserint, sciant quibus se potissimum rebus instructos esse oporteat.*

Si verò extra Diœcesim studij causa eos esse contigerit, legitimam earum rerum testificationem afferant, quæ nostris dimissorijs literis, ex Prouincialis Concilij decreto, ipsis proficiscentibus præscribentur. Quòd si alia ratione ea testificatio facta sit, sciant illam nullo modo sibi suffragaturam.

Med. tertiũ. tit. de ijs, quæ pt. ad ordin. sacr. &c. §. Ne a Diœcesi.

GRATISSIMA *Deo erit Parochorum pietas, si cum aliquos bonæ spei pauperum filios viderint, eos tum docendo, tum bonis moribus instituendo, pro*

uiribus

viribus iuuare studebunt; ut deinde uel ad ordines clericales promoueri, uel si eisdem magis expedire uidebitur, per aliquod tempus in publicum Clericorum Seminarium recipi possint.

Quod ex Sacri Tridentini Concilij constitutione erectum iam, & optimis institutis firmatum, ut maioribus in dies progressionibus exornetur, atque augeatur, cum omnes, tum in primis eos, quorum præcipue fidei, & industriæ hanc administrationem commisimus, vehementer in Domino hortamur; ut ad rem adeo ecclesiæ nostræ necessariam, et in qua una multum præsidij ad ecclesiasticam disciplinam amplificandam positum esse putamus, quã possunt maximam diligentiam, studiumq́ conferãt. Tri.sess.23 cap.18. de Refor.

ALIENAE Diœcesis Clericus, qui sacri ordinis suscipiendi causa nos adierit, testimoniales Episcopi sui literas, ut Trid. Synod. decreuit, afferat; quibus suorũ natalium, ætatis, ordinis, tituli, ac uitæ, doctrinæq́ suæ testimoniũ det. Alioquin se nullo mõ initiandũ sciat. Tri.sess.23 c.8. de Refor.

Qui si Regularis erit, testimonium à suo superiore scriptum, ut in Constitutione de Regularibus monemus, ostendat. Const. de Regul. §. Quemadmodum.

agat, mentem à terrenis auocet, atq; ad æternam fælicitatem pijs omnibus paratam erigat; Redemptoris clementißimi Christi misericordiæ maximè fidat, quam se vnà cum ijs, qui adsunt, ei deprecaturum polliceatur.

Explicet, quam uim hoc Sacramentum habeat tum ad salutem animæ, tum ad corporis valetudinem, si hæc ad Diuinam gloriam profutura sit.

Deinde, vt illum ita laborantem precibus communibus iuuent, præsentes hortetur.

AD SACRAMENTI huius ritus conficiendos Clericum aliquem, quantum fieri potest, secum omnino adhibeat, cuius opera in litanijs, alijsq; precibus recitandis, & Sacramento ministrando iuuetur.

NON vtatur alio oleo, quàm ex oleæ baccis expresso, & ab Episcopo consecrato; quòd est huius sacramenti materia.

Et dum illa formæ verba ad singularum partium vnctiones ipse pronunciat, PER ISTAM sanctam vnctionem, & suam pijßimam misericordiam parcat tibi Dominus, quicquid oculorum, siue narium, &c. vitio deliquisti; ne Clericus, aut

alius vngat; vel contra, dum ipse vngit, alius illa formæ uerba proferat.

Caueat etiam, dum oculos, aures, & alia corporis membra, quæ paria sunt, inungit, ne in altero tantum, sed in vtroq; inungendo totam formam absoluat.

AEGROTVM *in vna eademq; ægrotatione semel tantum vngat.*

Sæpißime verò inuisat, neq; deserat, quamdiu in eo sensus vigere cognouerit.

Sed eo extremo tempore illum maximè præsens iuuare studeat, ex quo vno vel præmium, vel supplicium pendet æternum.

QVONIAM *renum vnctio ad Sacramenti huius essentiam non est necessaria, in mulieribus omnino omittatur; in viris autem adhibeatur, si commodè fieri potest; sin minus, renum loco pectus circa regionem cordis vngatur.*

EX ALIIS *corporis partibus, quæ vngi solent, si quæ ægro desit, ut manus, pes, uel alia quælibet, vnctionem adhibeat propinquiori parti.*

SI SACERDOS *est vngendus, ceteræ partes eadem ratio-*

ratione in eo, vt in alijs, vngantur; manus verò sunt non interius, sed exterius ungendæ; cum in ordinis sacerdotalis susceptione interius unctæ iam sint.

Const. de sacr. §. Sacra.

INFIRMORVM oleum non domi, sed in ecclesia, vase ab alijs sacris Oleis separato, asseruet; nisi, vt iam præscripsimus, grauis alicuius ægrotatio aliud postulet, cũ parochialis domus ab ecclesia longe abest.

DE FVNERIBVS, ET EXEQVIIS.

QVEMADMODVM Parochi omni charitatis officio ægrotis, præcipuè in mortis articulo, præsto esse debent; ita etiam, cum mortem obierint, pijs eos precibus, atq; officijs ab ecclesia institutis, tum in exhibenda sepultura, tum in exequijs, vel anniuersarijs peragendis, ab eisdem iuuari christianæ pietatis officium postulat.

IN HIS igitur omnibus pactiones quascunque, vel exactiones illicitas omnino effugiant; ne ea, quæ ad pietatem, atq; ad suffragia defunctis præstanda instituta sunt, ad quæstum potius spectare videantur.

Mediol. 3. tit. de Paroch. §. Cũ nullũ.

CVM Parochus aliquem ex suis incolis vita defunctum.

ctum cognouerit, statim pro illius anima psalmum De profundis, cum oratione pro defunctis recitet.

Atque campanæ sono, quo Aue Maria significetur, populum moneat, ut pro defuncti salute precetur.

SI TANTA sit defuncti egestas, ut hæredum suorum expensis humari non possit, eum Parochus uel suis, uel piorum eleemosynis sepeliendum curet.

Ab alijs vero non ita egenis, si quid ultro oblatum erit, id accipere non vetamus.

Quinimo & pias consuetudines, & alias iure debitas erogationes seruandas curabimus. Med. 2. tit. 2. decr. 17.

ILLAM quoque vel præcipuam Parochi curam esse volumus, ne à Corporis Christi sodalitatibus pro sepulturis, quas inter se communes habere solent, quicquam à Confratrum hæredibus importunè, vel illicitè petatur.

Neque alijs eas concedi permittat, qui saltem per mensem ante mortem Societatibus his ascripti non erunt.

Cetera ad cæmeteria, ac sepulturam pertinentia ea ratione seruet, quam in Constitutione de ecclesijs decreuimus. Const. de eccl. §. Sepulchra. & §. Cœmeteria.

In

In his uerò si quis deliquerit, pœna iure contra simoniacos constituta plectetur.

C*AVEAT item, ne quis repentino aliquo morbo oppressus, nimis festinanter tumuletur; sed tamdiu super terra inhumatus custodiatur, donec de illius morte certior esse posit.*

C*ANDELAE, ac cerei, qui hæredum sumptibus exequijs celebrandis eo animo adhibentur, ut uel inter deferendum cadauer in Clericorum manibus, uel in ecclesia ad feretrum, & Altaria ardeant, omnes accendantur, luceantq́, donec exequiæ sint persolutæ.*

Med. secũdum. tit. 2. decr. 16.

Eos autem cereos, qui ex huiusmodi officijs superfuerint, Parochus, alijq́ Clerici, ad quos pertinent, uel in proprium, uel in ecclesiæ usum, suo arbitratu, conuertere posint.

I*N PROSEQVENDIS funeribus Clerici omnes pia, consonaq́ uoce psalmos, ceterasq́ orationes decantent.*

Fugiant quæcunque colloquia, uanos oculorum aspectus, & id genus alia.

Sic omnia attentè, compositè, ac religiosè agant, ut etiam populus pro defuncti anima ad orandum magis excitetur.

Sicq́

Sicq; orantes defuncti corpus, quoad in sepulcro conditum fuerit, prosequantur.

Exequias neq; noctu, neque ante solis ortum, neq; solemnis Missæ tempore agant. Medio. 1. part. 2. tit. de fun. & exeq.

Ritus autem, ac cærimonias huiusmodi officio persoluendo accommodatas, è Rituali libro accipiant.

DEFVNCTVM *aliquem in funere absq; Episcopi scripta facultate laudare, nec Parochis, nec alijs quibuscunq; liceat.* Mediol. 1. ibidem.

Sed tantum eos, qui adsunt, ad aliquas preces pro defuncti anima fundendas, atq; ad humanam miseriam agnoscendam, & ad uigilandum hortetur; ut cum Dominus venerit, inueniat eos vigilantes.

SACERDOTES *omnes, cum Episcopi mortem audierint, primo quoq; tempore Missam pro eius anima, vt in Constitutione de ecclesia Cathedrali statuimus, celebrent.* Const. de eccl. Cath. tit. de Archidia. §. Quod ad Episcopi.

Et Parochi populum ad preces Deo fundendas tum pro Pastore defuncto, tum pro pij, vigilantisq; successoris electione hortentur.

ANNIS *singulis, quod ibidem decreuimus, postridie eius diei, quo omnium fidelium defunctorum of-* §. Quod ad Episcopi. eod.

ficium, & Miſſa ſolemni eccleſiæ ritu celebrantur, Sacerdotes quoq; omnes Miſſæ ſacrum pro ſuis Epiſcopis defunctis facere ne prætermittant.

*C*VM *Parochum aliquem grauiter ægrotare contigerit, qui uicinior eſt Parochus, illum ſtatim inuiſat unà cum Vicario foraneo; ut & adhuc ſuperſtiti ſacramenta eccleſiaſtica, ac reliqua chriſtianæ charitatis officia exhibeant, & uita excedenti funeris debitum honorem unà cum alijs eiuſdem regionis Parochis perſoluant.*

Qui non ſolum priuatim ſinguli ſacrum pro defuncto faciant primo ſtatim poſt obitum die; ſed etiam decimo poſt proximè ſequenti, Miſſam ſimul omnes ſolemni ritu pro ipſius anima celebrent.

Pro quibus officijs nihil liceat exigere.

Dum autem ægrotus Parochus miniſteria ſua per ægrotationem populo præſtare non poterit, Vicarij foranei erit aliquem alium illius loco interim ſufficere, donec uel ægrotus conualeſcat, uel, ſi uita exceſſerit, nouus Rector eligatur.

*M*ISSAS, *atq; horarias preces, quæ menſibus ſingulis, aut*

aut aliàs intra annum pro defunctorum animabus, in Missali, & Breuiario nouo persoluendæ præscribuntur, ut Clerici studiosè statis temporibus persoluant; hortamur vehementer in Domino; neque hoc subsidio piorum animas, & sese indulgentiarum munere priuatos esse velint, quæ à Pio V. Pont. has preces recitantibus conceduntur. Bul. Pij.v. Sept. id. Iul. 1568.

ANNIVERSARIA *quoq; statis diebus celebrentur, ne obliuione aliqua, aut alia causa defunctorum animæ optato suffragio careant.*

QVICVNQVE *beneficium aliquod ecclesiasticum obtinet, cui aliquod emolumentum ex donatione, siue legato, cum eiusmodi onere accesserit, ut Rector sæpius in anno Missæ sacrificium pro defunctis offerat, is Prouincialis Concilij decreto semel singulis saltem mensibus eam Missam, quæ de defunctis dicitur, pro illius anima celebret, cujus causa emolumentum illud ecclesiæ venerit; nisi hoc ipsum ex aliqua obligatione frequentius facere debeat.* Med.2.tit. 2.decr. 5.

CONTROVERSIAS, *quæ persæpe, non sine magno populi scandalo, in prosequendis funeribus inter Clericos tam Seculares, quam Regulares, beneficia præ-*

Tri. seß. 23 cap. 13. de Regul. & Medio. 1. part. 2. tit. de fun. & exeq.

sertim curata obtinentes, oriri solent, amouere cupientes; Tridentini, Prouincialisq; Concilij auctoritate statuimus, ac declaramus, ut quilibet Parochus Secularis, uel Regularis, in cuius ecclesia mortuus erit sepeliendus, unà cum Parocho, ex cuius Parochia effertur, domum mortui adeat.

Vbi peractis ab eius Parocho quibusdam orationibus ambo cotta, stolaq; induti, pares in eo comitando post feretrum progrediantur; quo etiam loco ceteri ipsius defuncti Parochiæ Clerici seculares incedant, digniori tamē loco ecclesiæ Cathedrali relicto.

Si verò alter Parochorum fuerit ecclesiæ præpositus, in latere digniori cum alterius ecclesiæ Parocho maneat; si dignitate pares erunt, ille è cuius Parochia funus effertur, digniorem locum teneat.

CRVCES *autem funus prosequentium hoc ordine præferantur.*

Vt scilicet dignior locus defuncti Parochiæ cruci tradatur.

Proximum teneat illius ecclesiæ crux, in qua sepelitur.

Tum

Tum reliquæ eo loco progrediantur, quem in processionibus funeralibus tenere consueuerunt.

Si verò harum ecclesiarum aliqua sub Regularium administratione erit, ipsiq; ad prosequendum funus accesserint, eum locum vnà cum sua cruce teneant, quem in generalibus ipsi processionibus tenere solent.

Is autem, qui ex Regularibus animarum curæ præfectus est, à reliquorum ordine seiunctus, ecclesiæ alterius Parocho sese adiungat.

Verum si Regulares non accesserint, sed seculares tantum Sacerdotes, eorum substituti, aderunt; tunc cruces ordine paulò ante præscripto deferantur.

CVM FVNVS ad ecclesiam peruenerit, funebre officium ille ordinet, qui illi ecclesiæ præerit, ita tamen, vt ecclesiæ Cathedralis iura, priuilegia, & consuetudines non violentur.

Officio autem non absoluto, nemini Clericorum à funere discedere liceat; sed eo peracto, crucem quique suam ad ecclesiam propriam comitentur.

CVM Defunctũ aliquem in Monialiũ ecclesia tumulari contigerit, tunc Parochus ille, in cuius parochia ecclesia

ecclesia illa sita est, exequiarum officium ordinet.

CLERICI tam Seculares, quàm Regulares, è quorum Parochijs defunctus effertur, si illum vsq; ad ecclesiam, in qua sepeliendus erit, non prosecuti erunt; sciant cereos, quos à defuncti hæredibus ad exequias celebrandas habuerint, suos se non facturos; sed alterius ecclesiæ Clericis, in qua sepelitur, esse tribuendos, nec vllam præterea eleemosynam recipi à se posse.

EXTRA Ciuitatem cùm de vno ad aliud oppidum cadauer deferendum est, Parochus, è cuius ecclesia cadauer effertur, illud vsq; ad suæ Parochiæ extremos fines prosequatur; quo in loco Parochus ille, in cuius Parochia corpus humandum erit, ad illud excipiendum præsto sit.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CVM ORDINIS Sacramentum huc spectet, vt per illud in ecclesiæ ministerium ij assumantur, qui doctrina, & vitæ sanctitate Altissimo

mo Deo inseruire, sacraq; munera persoluere, atq; in uia salutis populo lumen præferre valeant; idcirco Parochis enixe præcipimus, ut quoties à Vicarijs foraneis intelligent Episcopum sacras ordinationes statis ab ecclesia temporibus habiturum, quod duobus fere mensibus ante ordinum collationem illis significabitur, secundo Dominico die huiusmodi significationem statim sequente Edictum nostrum de conferendis ordinibus frequenti populo in ecclesia con gregato euulgent.

Supplicationes, Litaniasq; vel intra ecclesiam, vel extra illius, ut moris est, ambitum eodem prosequente populo faciant.

Aliaque omnia in eo Edicto expressa diligenter exequantur; ne tantum ministerium alijs committatur, quàm ijs, qui vitæ sanctitate, doctrinaque in ecclesia Dei vtilem operam præstituri sunt.

EDICTVM illud, initiandorumq; nomina, cum in ecclesia euulgabunt, de eius Sacramenti dignitate verba aliqua faciant; tum ut si qui fuerint, qui aliquid aduersus illorum mores, vitamq; cognoscant, id charitatis zelo quamprimum Parocho suo indicare

viribus iuuare studebunt; ut deinde uel ad ordines clericales promoueri, uel si eisdem magis expedire uidebitur, per aliquod tempus in publicum Clericorum Seminarium recipi possint.

Quod ex Sacri Tridentini Concilij constitutione erectum iam, & optimis institutis firmatum, ut maioribus in dies progressionibus exornetur, atque augeatur, cum omnes, tum in primis eos, quorum præcipuè fidei, & industriæ hanc administrationem commisimus, vehementer in Domino hortamur; ut ad rem adeo ecclesiæ nostræ necessariam, et in qua una multum præsidij ad ecclesiasticam disciplinam amplificandam positum esse putamus, quã possunt maximam diligentiam, studiumq; conferãt. Tri.sess.23 cap.18. de Refor.

A LIENAE *Diœcesis Clericus, qui sacri ordinis suscipiendi causa nos adierit, testimoniales Episcopi sui literas, ut Trid. Synod. decreuit, afferat; quibus suorũ natalium, ætatis, ordinis, tituli, ac uitæ, doctrinæq; suæ testimoniũ det. Alioquin se nullo mõ initiandũ sciat.* Tri.sess.23 c.8. de Refor.

Qui si Regularis erit, testimonium à suo superiore scriptum, ut in Constitutione de Regularibus monemus, ostendat. Const. de Regul. §. Quemadmodum.

Mediol. 3. tit. de ijs, q̄ ad ordin. ſacr. &c. §. Infirma.

Eadem quoq; ratione cum à nobis aliquis ad aliū Epiſcopum mittetur, ne ille ſine literis noſtris teſtimonialibus ei præuio examine conceßis diſcedat, vt Prouinciali decreto conſtitutum eſt.

Bul. Pij. 2. 15. Calen. Decemb. 1461. & Literę Gregor. xiij. nono Cal. Martij. 1572.

SI QVIS contra Pij. ij. Pont. Conſtitutionem, Sanctiß. Domini. N. Gregorij. xiij. teſtificatione innouatam, ſine canonica diſpenſatione extra ſtata tempora, vel ante legitimam ætatem, vel abſq; dimiſſorijs Epiſcopi ſui literis ad aliquem ſacrum ordinem promoueri ſe fecerit; intelligat ſe ab eorum ordinū, ad quos promotus fuerit, functione ipſo iure ſuſpenſum eſſe.

Si verò dum ſuſpenſus eſt, illorum ordinum officium aliquod exercuerit; ſtatim irregularitatem incurrere, ſummo Pont. reſeruatam.

Qua ex cauſa præter alias pœnas, quæ in huiuſmodi temerarios homines ſacrorum Canonum iure ſancitæ ſunt, ipſis etiam beneficijs, ſi quæ obtinuerint, priuari poſſunt.

Conſt. de uita, & honeſt. Cleri §. Oēs. 2.

EIVS Ordinis, quo quiſq; eſt initiatus, munera omnia ea diligentia miniſtret, quam ſequenti Conſtitutione de vita, & honeſtate Clericorum, ad eas munerum

nerum functiones præstandas adhiberi iubemus.

QVONIAM obsessorum à Dæmone exorcismus in eos sæpe exercetur, qui falsò se obsessos suspicantur, et ab ijs, qui eius officij non sunt admodum periti; idcirco id muneris nemo suscipiat, nisi Episcopi prius scriptam facultatem obtinuerit.

Exorcizandiq; rationem Rituali libro traditam adhibeat; aliam præterea nullam.

SACERDOTII munus, quod à Deo hominibus tributum est, perpetua memoria religiosè coli debet. Itaq; quicunq; eo initiati sunt, cum sæpißime aliàs illud sibi tributum donum mente piè repetant, tum eo potißimum die, quo Sacerdotes facti sunt, quotannis singuli Missæ sacrificio, diuinisq; precibus accepti illius muneris gratiam sanctè, religioseq; testentur, vt Prouinciali Concilio sancitum est.

Med.3.tit. de ijs, quæ ad diu. off. pert. §. Plena.

EPISCOPI etiam Consecrationis Anniuersarium diem, vt aliàs iußimus, eadem religione, & ritu, vt in Missali nuper edito traditum est, Sacerdotes omnes celebrent; Deumq; humiliter deprecentur, vt vnà cum eo reliqui etiam Clerici munera sua ita sanctè, ac religiosè præstent, vt vitam æternam

Const. de eccl. Cathed.tit.de Archid. §. Ob multa.

ſimul conſequi valeant.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORVM.

QVI Clericali militiæ adſcripti ſunt, non ad commoditates, verùm ad labores ſe vocatos eſſe cognoſcant.

Quare eos omnes in Domino hortamur, atq; per eius miſericordiæ viſcera obſecramus, ut, quæ muneris ſui ſunt, ſecum frequenter recolant, atq; miniſterium ſuum explere ſtudeant.

Seculares, & uanas ſolicitudines abijciant.

Charitatem, humilitatem, ceteraſq; ſanctas virtutes amplectantur.

Sacrarum literarum ſtudijs, & orationibus vacent; ut debitum Deo cultum dignè præſtare, & alijs exemplo in uia Domini rectè ambulandi eſſe poſſint.

OMNES in ſacris ordinibus conſtituti veteris, ac Noui Teſtamenti uolumina, & eorum aliquem magis utilem interpretem, Librum de Sanctorum uitis, Catechiſmum Romanum, Rationale Diuinorum offi-

officiorum, Libellum de Missæ cærimonijs, Tridentinum Concilium, nostrasq́ has Constitutiones aßiduè in manibus habeant.

Qui verò animarum curam sustinent, præter probatas aliorum auctorum Summas, Ritualem in primis librum, & Directorium, quod nos in Confessariorum gratiam breui edendum curabimus, frequenter legant: ex quibus cognoscant singuli, quæ ad munus suum rite obeundum pertinent.

VT AVTEM mutuis studiorum exercitationibus maiores progressus facere Clerici poßint; id iubemus, vt qui in sacris ordinibus constituti sunt, si extra vrbem habitant, sacerdotalibus conuentibus, & lectionibus, ea constituta ratione, quam Vicarijs foraneis tradidimus, semper intersint; qui verò in vrbe manent, ad sacram lectionem, quæ in ædibus Episcopalibus haberi solet, sedulò conueniant.

Ex his, qui confeßionibus audiendis sunt addicti, ei etiam congregationi semper interesse studeant, quæ eodem loco ad difficiliores conscientiæ casus tractandos fieri solet.

Ceteri inferioris ordinis Clerici præter latinæ lin-

guæ

guæ studia ecclesiasticæ disciplinæ institutionibus diligenter incumbant.

QVEMADMODVM *ante primam tonsuram clericalem habitum sumere nemini licet; ita ijs, qui in maioribus sunt ordinibus constituti, vel beneficium, etiam simplex, ecclesiasticum habent, Canonum iure præcipimus, vt vestibus Clericalibus ordini, dignitatiq; suæ conuenientibus vtantur.*

Trid. sess. 14. c. 6. de Refor. Medio. 1. part. 2. tit. de Cler. Vest. &. 3. tit. de ijs, q ad ord. &c. §. Episcopi.

Qui verò infra mensem post huius Synodi promulgationem huic decreto non paruerit, sciat se ipso iure ab ordine sacro, quem habuerit, esse suspensum, & beneficij omnibus vnius anni fructibus priuatum; atq; adeo grauioribus etiam, si res ita postulet, pœnis ab Episcopo mulctandum.

NE VESTITV *sordido, & neglecto,*

Ne exquisito, nimisq; delicato,

Ne item serico Clerici vtantur,

Nec vestes induant, quæ nigro colore non sint, nisi dignitas aliud postulet.

Exteriorem vestem ad talos vsq; demissam adhibeant; itemq; interiorem, quam subtanam dicunt. Clerici autem minorum ordinum, si non talarem,

at

at infra genua demissam.

In itinere ut breuiorem vestem induere possint, permittimus; quæ tamen huiusmodi sit, ut ecclesiasticum hominem non dedeceat.

Cum verò ad Ciuitatē peruenerint, non sine talari veste, clericaliq; birreto per urbem incedant. Quod etiam in aliena Diœcesi ab eis seruari iubemus.

Incisos calceos, caligas'q; turgidas, uel dissectas; Interulas ad collum; uel ad manus crispatas, aut arte elaboratas eis omnino prohibemus.

Pileo per pluuiam tantum, & ad aeris iniuriam euitandam, eòq; minimè fastigiato, nec in ecclesia, vtantur.

Anulum, nisi officij, vel honoris gradus id aliquo iure postulet, nemini gestare liceat.

Famulos non alios, quàm Deum timentes, ac modestè indutos habeant.

CORONAM clericalem eius magnitudinis Sacerdotes gestent, ut hostia minor non sit; eam uerò reliqui deferant, quæ gradui suo conueniat; & ita capillis semper abrasis, ut ab omnibus ea conspici possit.

Barbam item, præsertim Sacerdotes, à superiori

labro

labro ita recisam habeant, ut pili eos nullo modo in corporis, & sanguinis Domini sumptione impediant.

ARMA *non ferant, nec armatum aliquem sibi comitem asciscant; nisi longioris, & suspecti itineris causa. Quo in itinere arma non nefaria, sed quæ ad tutelam corporis necessariò adhibentur, eaq; non palàm ferenda, permittimus. Quamuis Clericorum arma non alia, quã preces, & lacrymæ, esse debeant.*

Ad cauponas ne diuertant, nisi sola itineris necessitate.

DOMOS, *quas habitant, eiusmodi habere procurent, quæ à Clericali dignitate non abhorreant.*

Modestaq; supellectili, & frugali mensa contenti sint.

Nec imagines domi suæ habeant, nisi quæ pietatis, & religionis argumentum præbeant.

PROBORUM *hominum tantum, præcipuè Clericorum, familiaritate utantur; ex quorum consuetudine reliqui omnes bonam de eis opinionem concipere possint.*

Per vicos, atq; plateas ne vagentur.

Noctu non, nisi honesta, & necessaria causa,

domo

domo exeant.

Publicè, vel priuatim laruati nunquam conspiciantur.

Circulatorum, atque id genus vilium hominum spectatores ne sint.

Ab inhonestis, profanis, & immanibus ferarum spectaculis abstineant.

Et ab ijs etiam, quæ Magistratuum iudicio, exempli causa, cum improborum nece, & cruciatu multitudini proponuntur; nisi eorum pia opera, & consolationis officium vsui futurum illis sit, qui ad supplicium ducuntur.

Publica conuiuia, præsertim quibus mulieres intersunt, locaq; vbi choreæ ducuntur, Comœdiæ aguntur, Mimi, Histriones, & id genus alia adhibentur, euitent omnino.

TAXILLOS, *aleas, ceteraq; ludorum genera, sacrorum Canonum iure prohibita, eis non modo interdicimus; sed à conuentibus etiam, in quibus huiusmodi ludi exercentur, eos abstinere iubemus.* Canõ. Episcopus. d.35.

Caueant item, ne coram populo in ijs ludis versentur, qui corporis exercendi causa permittuntur.

Illicitas venationes, & aucupia fugiant.

Trid. sess. 25. ca. 14. de Refor.

QVONIAM verò non solum ob malum, sed etiam ob mali suspicionem, in clericalis militiæ hominibus populus vehementer offendi solet, id Tridentini Concilij auctoritate iubemus, vt vbicunque Clerici habitant, mulierum suspectarum consortium omnino vitent.

In ædibus verò, quæ sunt ad Clericorum vsum ædificatæ, ne alias quidem, matribus, sororibusue exceptis, mulieres quascunque, quouis etiam affinitatis, & propinquitatis gradu sibi coniunctas, absque Episcopi, aut Vicarij foranei scripta facultate secum habitare permittant.

Nec domos ad ecclesiarum vsum extructas, in quibus ipsi habitant, vel earum partem vllo modo laicis locent; nisi Episcopus iusta causa id concedendum iudicarit.

Concessione verò impetrata, in illis ædibus saltationes, ne nuptiarum quidem causa, comœdias, aut spectacula agi nulla ratione patiantur.

Sed ne ipsas quidem patrimoniales ædes ijs locēt, quorū uitam, moresue suspectos esse cognouerint.

Si

SI QVANDO Clericis, parochiale tamen beneficium non obtinentibus, facultas conceditur ad gymnasium aliquod publicum, studiorum causa, proficiscendi; ne prius discedant, quàm literas ab Episcopo accipiant ad eam formam scriptas, quæ Prouinciali Concilio præscribitur. Mediol. 3. tit. de ijs, q̄ pert. ad ord. &c. §. Ne à Diœcesi.

Quæ verò literis illis iniuncta sibi viderint, omnia quamdiu abfuerint, omnino præstent; pœnis propositis, quæ Prouinciali etiam Concilio decretæ sunt. Mediol. 3. ibidem.

PROLES illegitima in ea ecclesia, in qua pater beneficium habet, uel etiam habuerit, non modo beneficium aliquod, aut beneficij paterni pensionem habere, sed nec ministrare etiam quoquo modo possit. Tri. sess. 25 cap. 15. de Refor.

Ceterum, ut Clericorum vita, quod intimo cordis affectu optamus, pura, mundaq; in oculis hominum semper versetur; quæcunque pœnæ per sacros Canones contra Clericum incontinentem constitutæ sunt, ab illis planè exigentur. Trid. sess. 25. c. 14. de Refor.

CVM Clerici, vt est Diui Pauli præceptum, secularibus negocijs se implicare non debeant, eis non solum cuiuscunq; generis mercaturam, tabellionatus offi- 2. Timo. 2.

cium, medendi artem, prædiorumq; conductionem interdicimus:

Verum etiam vetamus, vt nulla, nisi pia de causa, fideiubeant; neq; alicuius tutelam, aut patrocinium absq; Episcopi facultate suscipiant.

IN *Laicorum ædibus, quamuis nobilium, nullus Clericus, minoribus etiã tantũ ordinibus initiatus, in aliquo famulatu clericali gradu minime digno seruiat.*

Qui si beneficium aliquod ecclesiasticum obtineat, vel Sacerdos sit, ne docendis quidem pueris in ijs domibus, facultate ab Episcopo non impetrata, inseruiat; ne dum huic rei uacat, eius opera in Diuino cultu, atq; animarum cura, in quã præcipuè incumbere debet, nos destituamur. Qui non obedierit, ab ordinis sui munere tandiu se suspensum iri sciat, quandiu Episcopo videbitur.

SORDIDOS *item quoscunq; quæstus cum alios, tum eos maxime, quos ostiatim nonnunquam non sine sacri ordinis contumelia, ipsi per se Sacerdotes faciunt, ut omnino fugiant, præcipimus.*

Trid. sess. 23. c. 16. de Ref.

OMNES *Clerici in ea ecclesia, cui Trid. Concilij auctoritate à nobis adscripti sunt, uel in posterũ ad ordinis susce-*

suscepti functiones obeundas adscribentur, tandiu persistant, donec ad aliam ab Episcopo mittantur.

Cumq; ad ordinem alium suscipiendum venient, testimonium ab ecclesiæ illius Rectore afferant, se ordinis suscepti munera ministrasse; neq; sperent alioquin sibi ad alios ordines progrediendum esse.

In primis verò Sacerdotes, qui ad id sunt constituti, ut offerant dona, & sacrificia pro peccatis, diebus saltem Dominicis, festisq; solemnibus, ut à Tridentino Concilio sancitum est, Missæ sacrificium faciant. Heb. 3. Trid. sess. 23. c. 14. de Refor.

Si verò animarum curam sustinent, ter in hebdomada, & eo frequentius in ecclesijs, in quibus residere debent, illud offerre ne omittant; ut pro loci consuetudine, uel necessitate muneri suo satisfaciant. Medio. 1. part. 2. de frequ. Diu. sacr. obl.

NE AETATIS *ad beneficium capessendum requisitæ ignoratio alicui forte, vel in adeptione beneficij, uel possessione obsit; illud consequi nemo tentet ante eam ætatem, quæ Canonum iure definita est;* Tri. sess. 23. c. 6. de Refor.

Ut is uidelicet, cui beneficium simplex conferendum est, decimum quartum saltem annum attingat; C. licet cā. de elec. in. 6 & c. Cū in cūct. §. Infe

Cui verò parochiale dandum est beneficium, annum

num vigesimum quintum ingressus sit.

Tri.sess.24 c.12.de Reform. Cui dignitas tribuenda est, uel Personatus, non minor sit annis viginti duobus.

Med.2. tit. 2. decr.28. CVIVSCVNQVE item ordinis Clericis, extra vrbem commorantibus, iubemus, vt his ipsis diebus in suam quisq; parochialem, aut aliam ab Episcopo constitutam ecclesiam, & ad Diuina officia celebranda, & ad pueros Christiana doctrina erudiendos conueniant.

Sacræ concioni semper intersint. Quæ si in eorũ ecclesijs ab alijs concionatoribus non habebitur, Parochum in Missa ad populum concionantem audiant.

Atque cum processiones aliquas fieri contigerit, eas prosequantur.

Const. de eccl.Cath. tit. de Archipresb. §. Iis. Qui verò in vrbe degunt, hæc omnia, & alia, quæ nostra de ecclesia Cathedrali Constitutione, capite de Archipresbytero, ipsis persoluenda iubemus, in ijs ecclesijs præstent, in quibus vel tenentur, vel Episcopi arbitrio earum ministerio addicti sunt.

QVI Minoribus tantum ordinibus initiati sunt, eis sacram Eucharistiam semel saltem in mense;

Illis

Illis verò, qui Subdiaconatus, vel Diaconatus ordinem sumpserint, decimo quinto quoq; die, vt in eadem Constitutione de Cathedrali ecclesia diximus, omni pietatis studio sumendam præcipimus. Const. de eccl. Cath. tit. de Diuin. off. §. Quod Prouinciali.

Confessarium autem nō quemlibet, quem ipsi uolent; sed ex plerisq; quos ipsorum audiendis confessionibus & in vrbe, & in Diœcesi Episcopus illis proponet, vnum aliquem suo arbitratu eligant.

DIVINVM officium Pij. V. Pont. iussu, Tridentini Concilij decreto nuper editum, quilibet Clericus in sacris constitutus, uel etiam minoribus tantum ordinibus initiatus, si beneficium aliquod ecclesiasticum obtinet, ad Calendarij quotannis Episcopi iussu edendi rationem, quotidie recitet. Bul. Pij. v. Sep. Id. Iul. 1568. Tri. sess. 25 dec. de ind. lib. &c.

Qui verò illud, legitimo cessante impedimento, non recitarit, præter mortalis peccati pœnam, quam incurret, alijs etiam pœnis Episcopi arbitrio plectetur; atq; si beneficium obtinuerit, omnem illam fructuum partem à se restitui oportebit, quam pro officio non recitato eiusdem Pontificis sanctione amisit. Bul. Pij. v. 12. Cal. Oct. 1571.

QVI AVTEM pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, tamquam Clericus percipit; illum eiusdē Bul. eadē.

san-

sanctionis auctoritate, & propositis ijsdem pœnis, Beatæ Mariæ Virginis officij singulis diebus recitandi lege teneri significamus.

Illos nihilominus, qui minoribus tantum ordinibus initiati sunt, nec huiusmodi ecclesiasticis bonis fruuntur, uehemẽter hortamur, ut hoc officiũ recitẽt.

VT VERO quæ *Clericis tum de literarum studijs, tum de tota hac morum disciplina præcipimus, accuratius seruentur, & certior de illis, cum opus erit, Episcopus fieri poßit; hãc Clericorum Decurionibus, quos in vrbe eam ob causam constituimus, suasq; singulis classes attribuimus, curam demandamus; vt vnusquisq; eos, qui sunt sibi adscripti, bis hebdomadis singulis in aliquem certum locum conuocet, ad mutuas earum lectionum exercitationes, quæ publicè in ædibus Episcopalibus explicabuntur.*

Et priuatis præterea sermonibus ad omnem honestatem illos hortentur.

Quorum in re literaria, & moribus progreßionem tertio saltem quoq; mense Episcopo significent.

QVAM *in vrbe Decurionibus curam tribuimus, eam ipsam in Diœcesi Parochis demandamus, ut*

suorum

suorum Clericorum mores, & studia Vicario suo foraneo tertio quoq; mense significent.

Qui item hac ipsa de re Episcopum eodem temporis spatio certiorem faciant; vt qui muneribus sibi iniunctis defuerint, ab ordinum susceptione, vel vsu, tanquam indigni, repellantur, & grauioribus, si res ita postularit, pœnis Episcopi arbitrio plectantur.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

MATRIMONII Sacramentum à Deo ante peccatum ad humani generis propagationem institutum, ac deinde Iesu Christi Domini nostri præsentia decoratum, piè, sanctèq; à fidelibus tractari oportet.

Quare ut omnes morum corruptelæ in matrimonijs contrahendis magna hominum culpa introductæ omnino tollantur; Parochis hoc magnopere iubemus, vt illud Diui August. populo sæpe inculcēt; nuptiale bonū tribus partibus contineri, Fide, Prole, Aug. l. 9. super Gen.

& Sacramento. Fide, ut sanctum coniugij fœdus nunquam uioletur; Prole, ut filij generentur, qui Dei auxilio à parentibus religiosè educati, æternæ beatitudinis hæreditatem accipiant; Sacramento, ut nunquam coniugium separetur.

QVONIAM tanta est quorundam hominum temeritas, ut contra sancta matrimonij iura ij à matrimoniali vel toro, vel domicilio, vel ab ipso etiam matrimonio, quantum in ipsis est, discedere temere, ac flagitiosè tentent; ideo ne in re tam graui, & sancta, quod sæpe accidit, grauiter, & periculosè peccetur; Parochi officium sit, si quos eiusmodi animaduerterit, eos priuatim magnopere monere, ut ne quid tale præcipites audeant; sed Theologum aliquem doctrina, ac prudentia præditum conueniant; de cuius consilio uideant, summine Pontificis, an Episcopi iudicio, ac auctoritate res ea decernenda, & constituenda sit.

QVAMVIS matrimonia, etiam absq; parentum consensu contracta, ualida, firmaq; sint; hortentur tamen paternè Parochi filios, qui matrimonio iungi voluerint, ne illud parentibus inconsultis, aut repugnan-

gnantibus ineant; quibus reuerentiæ, atq; obedientiæ officia præstare oportet.

PARENTES contrà moneant, ne dum familiam suam amplificare cogitant, vnum tantum ex multis filijs, uel alterum matrimonio collocantes, reliquos incontinentiæ periculo exponant; siq; ex illis aliquis à voluntate interdum paterna in matrimonio ineundo recesserit, ne nimis in illum seuerè agant; doceantq;, quàm libera esse matrimonia oporteat, & quæ coacta sunt, quàm malos, tristesq; exitus habere soleant.

QVAE in contrahendis matrimonijs Tridentina Synodus seruanda præcepit, ea vt omnino seruentur, studio quàm fieri potest maximo, ipsi nitantur. Tri. sess. 24 cap. 1. de Ref. Matr.

Quare cum aliàs, si opus erit, tum præsertim mensis Nouembris primo Dominico die eiusdem Concilij decretum, quod vulgari lingua conscriptum inter Edicta nostra retulimus, frequenti populo quotãnis in ecclesia recitent; ne quis ignorare unquam poßit, matrimonia coram proprio Parocho, uel alio de eius, aut Episcopi facultate, & duobus, uel tribus testibus non contracta, nulla, & irrita esse; & ea præterea

tempora, ex eodem cognoſcant, quibus celebrari nuptias prohibitum eſt.

Trid. ibid. TRINAS *denunciationes ab eadem Trid. Synodo decretas, quibus cōtrahentium nomina tam in Parochia viri, quam mulieris, tribus feſtis diebus inter Miſſarum ſolēnia ſunt euulganda, cum populus frequētior aderit, Parochi ita ſeruent, ut non modò earū nulla absq; Epiſcopi ſcripta cōceſſione prætermittatur; ſed ne ipſa quidem die tertia, qua denunciatio vltima fiet, matrimonium ſine Epiſcopi facultate celebretur; niſi denunciatio illa in eum diem cadat, qui Quadrageſimæ, vel Aduentus initium proximè antecedit; uel niſi Parochus cū ſecundā denunciationē faciet, populum commonuerit eo ipſo die, quo tertia denunciatio fiet, matrimoniū eſſe contrahendū.*

Mediol. 3. tit. de iis, q ad Matri. pert. §. Quo die.

SI IMPEDIMENTVM *aliquod ad Matrimonium contrahendum Parochus cognouerit, ad aliam denunciationem, ſiue ad illius matrimonij celebrationem nullo modo progrediatur; niſi prius de huiuſmodi impedimento, etiam ſi falſum, uel malitioſum uideatur, Epiſcopum ille, qui infra quinq; milliaria à ciuitate abſuerit, qui longius, Vicarium foraneum* dili-

diligenter docuerit; & ab eo, quid hac in re faciendum sit, acceperit.

NON *in priuatis ædibus; sed in ecclesia, quæ sacramentorum proprius locus est, & ea quidem non alia, quàm parochiali, non à prandio, sed mane, matrimonio iungi quemquã permittat; nec, nisi consulto prius Episcopo, alio loco, vel tempore illud celebretur, nisi ob loci distantiam vrgens necessitas secus aliquando fieri cogat.* Mediol. 3. ibidem. §. Matrimonium.

CVM *autem viri, ac mulieris nomina denunciaturus erit, ea non ante denunciet, quam postulent, vel assentiantur ij ipsi, inter quos matrimonium contrahendum est.* Mediol. 3. ibidem. §. Matrimonij.

Qui si ad Parochias diuersas pertinent, satis erit à proprio cuiusq; Parocho eum consensum cognosci, eiusq; testificatione alteri Parocho id affirmari.

ALIENAE *parochiæ sponsum, sponsam'ue in matrimonium ne Parochus iungat, nisi prius à proprio illius Parocho testimoniũ scriptum, & obsignatũ habeat, quo sibi testatũ sit, denunciationes esse factas, nullũq; subesse impedimentũ matrimonio cõtrahendo, aut Episcopi uoluntate illas prætermissas fuisse.* Med. 3. tit. 1. decr. 26.

Si

Si verò Parochus ille, cuius testimonium petitur, alienæ sit Diœcesis, illud etiam Episcopi loci sigillo sit munitum, & recognitum deinde, vel ab Episcopo, si in vrbe, uel à Vicario foraneo, si sit matrimonium in Diœcesi contrahendum; modò is, qui matrimonio iungendus est, finitimæ sit Diœcesis.

Quòd si sit admodum remotæ, unde testimoniales literæ haberi commodè non possunt, nihil tunc sine Episcopi consilio Parochus, uel Vicarius foraneus statuat; ne, quod sæpe contingit, ab hominibus incognitis, & incertas sedes habentibus, plures ducantur vxores.

V*IRVM, aut mulierem, qui, quæue cum alio matrimonium contraxerit, quamuis diuturna intercesserit viri, uel vxoris absentia, alteri iungere se se matrimonio ne audeat; nisi certam de absentis coniugis morte scientiam habuerit.*

C*VM quis ex aliena Diœcesi veniens, duxerit secum mulierem, quam affirmet esse vxorem; ipse tamen Parochus ex infamia, aut alia probabili coniectura suspicetur esse concubinam; iubeat ostendi sibi fidem legitimi matrimonij; aut illum, tanquam concubi-*

narium

narium ad Episcopum deferat.

QVI IN Hæreticorum finibus curam habent animarum, quando matrimonium cũ eorum locorum incolis contrahendum erit, secundam denunciationem ne faciant, nisi prius eorum, cum quibus contrahendum est, nomen, & cognomen ad Episcopum miserint, & facultatem ab eo acceperint matrimonij perficiendi. Med. secũdum. tit. 1. decr. 25.

CAVEANT præterea, ne qui coniugium inire voluerint, id clàm contrahere tentent.

Neq; illo nondum contracto, copulà misceantur carnali; pœnas alioquin graues, præter mortalem culpam, nostræ absolutioni reseruatam, subituri. Medio. 2. tit. 1. decr. 27.

Ac si res ita aliquando postulet, vt matrimoniũ celebretur ante denunciationes publicas, moneant Parochi coniuges, vt etiam tunc à cohabitatione, vsuq; matrimonij tam diu abstineant, donec denunciationibus publicè habitis, cognitum planè sit, nullum subesse impedimentum; ne si, quod vsu venire facile potest, impedimentum aliquod post contractam copulam deprehendatur, matrimonium dirimi cum graui scandalo oporteat.

CVM

Tri. sess. 24 cap. 1. de Ref. Matr.

CVM Tridentina Synodus eos maximè commendet, qui ante matrimonij celebrationem ad sacramentalem Cōfeßionem accesserint, ac Sacrosanctam Communionem sumpserint; ipsi in primis eos, qui matrimonio iungendi sunt, vt id omnino faciant, hortentur; atq; reuerentiæ, quæ sanctißimo Eucharistiæ Sacramento debetur, illos præmonentes, iubeant, ne minus tribus ante matrimonij consumationem diebus illud sanctè percipiant.

MATRIMONIVM per se, non per alium, legitimo cessante impedimento, Parochus celebret.

Cumq; sponsis benedicendum erit, id faciat in ea Missa, quam, ad Missalis Romani præscriptum, illis præsentibus celebrabit.

Benedictio autem impartienda est, quoties in alio matrimonio illam neuter eorum accepit. Quòd si vel vterq;, vel eorum alter benedictionem aliàs accepit, illis benedicendum non erit.

Med. tertiũ. tit. de ijs, quæ ad Matr. sacr. pert. §. Si Parochus.

SI QVIS Sacerdos parochialis ecclesiæ, curæue Coadiutor, vel alius ad Sacramenta administranda ab Episcopo probatus, Parochi nomine, & concessione, inter Parochiæ incolas matrimonium contraxe-

traxerit; is quamprimum fideliter verbo, uel scripto matrimonij celebrati diem, locum, coniugumq́, ac testium nomina Parocho ipsi significet; ut in proprium matrimoniorum librum omnia eo ordine referre ille poßit, quem omnibus Parochis in extrema harum constitutionum parte, vulgari lingua præscribimus.

Et tunc eius, qui sponsos matrimonio iunxit, nomen adscribat.

Librum verò apud se diligenter custodiat; & nominum, quæ sunt illo anno in eo libro descripta, exemplum quotannis mense Iunij, vna cum alijs baptizatorum, confirmatorumq́ exemplis, Parochi Diœcesani ad Vicariũ foraneũ, Vrbani ad Episcopũ mittãt, in Archiuio Episcopali perpetuò aßeruandũ.

ILLA *auaritiæ, & luxus studio introducta, ac deprauato morum vsu firmata, detestabilis consuetudo, ferenda non est, qua certa quædam taxa illis constituitur, qui vel in externum solum vxorem ducunt, vel secundas nuptias contrahunt. Ideo vt ei, quantum in domino possumus, cura paterna occurramus, illud Parochis edicimus, ac iu-*

bemus, vt illam, cùm vſu venerit, inter concionandum grauiſſimè reprehendant; & tanquam à chriſtianæ vitæ inſtitutis, atque moribus alienam, omni verborum ui deteſtentur, propoſita illis etiam, ſi opus erit, auctoritate noſtra, excommunicationis pœna.

DE IVDICIALI FORO EPISCOPI.

Med. 3. tit. de ijs, quæ ad Epiſc. forũ pert. §. Eps. 1.

SVMMOPERE cupientes, vt in foro noſtro omnia quàm minimis ſubditorum incommodis, atq; ſumptibus agantur; idcirco præter certam mercedẽ, quam ex Prouincialis Concilij ſanctione, noſtro Edicto ſub taxæ nomine nuper emiſſo, atq; in Cãcellaria patenti tabula ſemper locando, eiuſdem Cancellariæ miniſtris in qualibet actione ſoluendam conſtituimus; hæc quoq; in proſequendis iudicijs planè ſeruari decernimus.

CVM IN Iudicium vocari aliquem continget, forma citationis ea ſeruetur, quæ iure, aut fori noſtri conſuetudine probata, ſeruari ſolet.

In

In Clericorum autem eorum citatione, qui certæ alicuius ecclesiæ muneribus, nostræ de Residētia Constitutionis iure addicti, uel ecclesiæ relictæ, uel criminis alterius nomine accusabuntur; ea citatio satis esse intelligatur, cùm, schedula ad ecclesiæ suæ valuas affixa, in iudicium vocabuntur, delationis contra se factæ rationē reddituri; nisi ea citatio uel illi ipsi, qui citandus est, uel alicui ex domesticis dari in eius domo possit.

SI ALIENAE *Diœcesis Clericus, delicto aliquo patrato, ad Brixiensem hanc Diœcesim confugerit, sciat impunitatis locum sibi in ea minimè futurum esse; imo cùm primùm à proprio Episcopo citationis, & contumaciæ fidem faciente petetur, in carcerem se coniectum iri, vt ad illum remittatur.* Med. 2. tit. 2. decr. 35.

IN CAVSIS *tam summarijs, quàm ordinarijs probatoriæ dilationes per dies continuos constituantur; atq; vtriq; parti communes esse intelligantur.*

Primaq; dilatio in ordinarijs dies quindecim, in summarijs duodecim non excedat. Quòd si ad vlteriores dilationes uel in summarijs, uel in ordinarijs veniendum erit, secunda tribus diebus breuior

sit, quàm prima; tertia, quàm secunda; quarta, quàm tertia.

Reprobatoriæ autem omnino breuiores sint; & vna tantum, vel ad summum altera. Nec nisi legitima de causa, concedantur. Quæ pariter & dierum continuorum, & utriq; parti cõmunes sint. Ac si aliqua in causa Iudex longiores concedendas esse iudicarit, id vrgente tantum necessitate faciat.

Medio. 3. tit. de ijs, quę ad Episcop. sort. pert. §i Causæ.

VT AVTEM *Diœcesanorum, præsertim pauperum, quibuscunq; sumptibus, & incommodis occurramus, facultate à Pio V. Pont. Episcopis huius prouinciæ concessa, eas causas, in quibus vsque ad summã decem nummos aureos non excedentem, vel Clericus Clericum, uel Laicus Clericum conuenerit, summariè, simpliciter, ac de plano, absq; iudicij forma, sola rei veritate perspecta, dirimendi; nos Vicarijs nostris foraneis concedimus, vt in sua quisque regione eas causas, quæ quinque libras Brixienses non excedunt, eadem ratione cognoscant, decidant, & exequantur.*

Eorumq; acta, si in promptu Notarium non habuerint, per alios duos probos viros propria sub-

scri-

ſcriptione ſignata, perinde valeant, ac ſi à Notario ſcripta eſſent.

IN BONIS præterea immobilibus, in ſolutum creditoribus dandis, ordinem iuris municipalis Brixiæ in noſtro etiam foro, vbi lex canonica non aduerſatur, ſeruari ſtatuimus. Verùm quot ibi dierum, quos vtiles vocant, dilationes ſtatutæ ſunt, tot hic continuorum, niſi plurium, aut pauciorum Iudex præſcripſerit, eſſe volumus.

Citationes autem per Edictum, ſtatim, certiſq; locis euulgentur, in foribus ſcilicet curiæ Epiſcopalis, eccleſiæ item Cathedralis, atq; eius domus, in qua debitor habitabit.

Tempus verò, quod ibi ad redimendum debitori conceditur, in foro noſtro non recipimus; ſed in hac parte ius commune ſeruetur.

CONSTITVTIONES ſedis Apoſtolicæ, quæ in dies emittuntur, eo modo, quo in illis cautum erit, promulgentur.

Quòd ſi nullus modus præſcriptus ſit, nec Epiſcopus alio ſpeciali modo euulgari iuſſerit, maioris Eccleſiæ, atque domus Epiſcopalis

lis ualuis publico Edicto affigantur.

Quascunque verò Constitutiones, vel mandata promulgari contigerit, eorum publicas affixiones, & promulgationes in acta Cancellarius referat.

Med.3.ibi. §. Procurator.

PROCVRATORES malæ fidei, vel publicè criminosi, in foro Episcopali locum non habeant.

Cancellarius itē, vel Notarij, qui vitæ integritate, sanctisq; moribus proborum hominum consensu probati non sint, nullo modo recipiantur.

In inferioribus quoq; ministris animaduertēdum erit, vt à ludis, scortis, & ab improbis quæstibus abstineant, christianæq; vitæ officijs contineantur.

Sed nec probati, ante recipiantur, quàm coram Episcopo iurarint, se ea omnia seruaturos, quæ sub ea iuramenti formula continentur, quæ Prouinciali Concilio adscripta est.

Medio. 1. part. 2. tit. de Notarijs.

Medio. 3. ibidem. §. Certus.

CVM Cancellarij, ac Notarij ab officio discedunt, Acta, instrumenta, scriptaue in eodem foro à se confecta, aut in acta relata, è Cancellaria ne auferant; sed ea omnia Episcopo, si in vrbe aderit; sin minus eius vice fungentibus fideliter tradant.

Quæ in eiusdem Episcopatus Archiuio diligenter,

ter, ex ordineq́ asseruentur; ne vt hactenus, magna sæpe iustitiæ iactura, euenisse comperimus, rei gestæ veritas pereat; vtq́ ij, quorum intererit, inde cum opus erit, exemplum authenticum petere poßint.

Verùm huiusmodi exemplorum emolumentum Cancellario, qui ea confecerit, si viuet, ac præsens erit, vel eius primo tantum hæredi, si habilis Episcopo videbitur, idq́ commoda ratione fieri poterit, concedatur. Mediol. 3. ibidem. §. Ex Archiuij.

ARCHIVIVM *Episcopale duabus diuersis clauibus obseretur; quarum vnam Cancellarius, alteram is, cui Episcopus munus hoc demandarit, penes se habeat.*

Reponantur autem in eo quotannis acta omnia à Cancellario, & Notarijs confecta. Quæ non in pagellas cordula infixas, vt fieri solet; sed in duodecim distinctos codices referantur; ex quibus,

Primus, Collationes ecclesiasticorum beneficiorum contineat.

Secundus, Promotiones ad ordines; adscripto eo titulo, quo quisque ad subdiaconatus ordinem initiatus est.

Ter-

Tertius, iura patronatuum ecclesiasticorum.

Quartus, Præsentationes, & institutiones beneficiorum, quæ sunt de iure patronatus.

Quintus, excommunicationes.

Sextus, suspensiones, interdicta, & absolutiones.

Septimus, sententias diffinitiuas rerum spiritualium ad cultum Diuinum, curam animarum, & munera beneficialia pertinentium.

Octauus, sententias matrimoniales.

Nonus, sententias criminales.

Decimus, eorum nomina, qui vel in Synodo Diæcesana, vel aliàs professionem fidei coram Episcopo fecerint.

Vndecimus, Summorum Pontificum Bullas, quæ quotannis promulgabuntur.

Duodecimus, legata omnia pia.

SI QVAE literæ Præceptoriæ, Inhibitoriæ, Denunciatoriæ, uel huiusmodi aliæ iudicialem auctoritatem habentes, ab aliquo extra vrbem habitant, petitæ fuerint; eis à Cancellario, aut ministro alio ad id constituto ne subscribatur; nisi constet in actis, vel illum ipsum, qui literas impetrarit, quo ad ea,

quæ

quæ literis continentur, habitationem in vrbe elegisse, vel certè procuratorem suo nomine constituisse, in vrbe habitantem; cuius rei vel in literis impetratis mentio fiat; vel iam alteri parti notitia legitimè facta sit. Quòd si secus ab illis subscriptum erit, subreptitiæ, ac planè nullæ literæ illæ habeantur.

S*I QVIS vocatus, stato citationis tempore in iudicium venerit, is verò, cuius nomine citatio facta est, per se, uel per alium legitimum procuratorem minimè cōparuerit; sciat hic se in causæ suæ prosecutione non esse audiendum, nisi expēsas, ex ea citatione factas, prius ipse persoluerit.*

I*N IVDICIVM vocato, non minus temporis spatium ad commodè veniendum concedatur, quā eius loci, in quo ipse habitat, distantia postulare videtur.*

P*OENAE pecuniariæ sententijs iudicialibus definitæ, quæ in eam vnam capsam, quæ pauperum dicitur, reponi solitæ hactenus sunt simul omnes, partim in pauperes, partem in Cancellariæ ministros distribuendæ, in duas in posterum distinctas capsas reponantur, vt quæ pœnarum illarum portio paupe-*

ribus, & quæ ministris debeatur, dignosci facilius, & commodius poßit.

Neque tamen ex illis capsis quicquam efferatur vel ministris, vel pauperibus attribuendum, sine Vicarij generalis facultate in scriptis concessa.

DE VICARIIS FORANEIS.

Med. primū part. 2. tit. de Vic. for.

VT QVAE in Diœcesis nostræ visitatione ad cultum Diuinum, fabricæ reparationem, & ecclesiasticam disciplinam decreta sunt, maiore studio perficiantur, cum ea nos inspicere, & exequi præsentes non poßimus; Vicarij foranei, quorum curæ, ac diligentiæ viciniores ecclesias commisimus, in id præcipue incumbant, vt tertio saltem quoque mense nostro nomine eas inuisant; & omnia, quæ vel in visitatione, vel in his constitutionibus præcepta sunt, obseruari in illis omnino studeant, & ea in primis, quæ de Residentia decreuimus.

VT CLERICI omnes ecclesiasticis disciplinis commodè

modè instrui poßint; atq; ad sua munera obeunda idonei aßiduo studio reddantur; præcipimus, ut quilibet Vicarius Parochos omnes, aliosq; Sacerdotes, & Clericos in ea Diœcesis parte commorantes, quæ suæ curæ commissa est, quinto decimo quoque die, vel singulis saltem mensibus, conuentus habendi gratia conuocet.

Vbi ea tractanda, legendaq; proponat, quæ Vicarijs foraneis præscribimus; præmissa ante omnia oratione, Actiones nostras. &c. & illa ad finem adiecta, Gratiam tuam. &c.

In quarum rerum tractatione si quis proponetur difficilior casus, uel de contractibus, uel de Matrimonio, uel de voto, uel de re qualibet grauiore, quem explicare ipsi uel collatione cum alijs facta, uel priuato studio, uel periti alicuius Theologi consilio non satis poßint, scriptum illum ad Episcopum mittant, in Confeßariorum congregatione, si ita opus erit, proponendum, atq; communi omnium sententia explicandum. Quam sententiam cum acceperint, eam in primo quoque Clericorum suorum conuentu omnibus explicatè proponant, atq; aperiant.

Ac deinde tam de conuentibus ipsis, quàm de literarijs Clericorum progreßibus, de vita morumq; honestate hisce Constitutionibus præscripta, deq; ecclesiarum visitatione ad formulam nostram habenda Episcopum statis temporibus certiorem faciat; vt in ijs rebus, quæ eius consilio, auxilioúe indigebunt, ab illo opportunè iuuari poßit.

Const. de eccles. §. Inuentarium.

QVAE BENEFICIORVM *quorumcunq; Rectoribus de bonorum, iuriumq; ecclesiasticorum inuentarijs intra sex menses faciendis præcipimus, ea ipsi in suæ regionis ecclesijs vt in tempore conficiantur, & ad Episcopum in Archiuium Episcopale reponenda mittantur; studiosè curent; vt & eorum memoria perpetua conseruetur, & ex illis Episcopus, cum ecclesias visitarit, facile cognoscat, an ex bonis ecclesiasticis aliquid deperierit.*

SI BONORVM *ecclesiasticorum locationes à Triginta annis, in longius tempus, quàm iure, vel consuetudine probata permißum est, factas viderint, id Episcopo quamprimùm significent; vt cognosci poßit, sit'ne in ijs locationibus aliquid in ecclesiæ dam-*

damnum contractum; ut est à Tridentino, & Prouinciali Concilio constitutum. Trid. sess. 25. ca. 11. Med. 1. par. 2. tit. Quæ pert. ad bonorũ. &c.

Idemq; faciant, si quid in alijs vel locationibus, vel alienationibus compererint minimè conuenire cum ijs, quæ in Constitutione de ecclesijs hac de re statuimus. Const. de eccles. §. Ecclesiastica.

DENIQVE Vicarij operam, ut Parochi, & alij quicunque Clerici in sua regione degentes, qui Diœcesanæ Synodo quotannis è Tridentini Concilij decreto conuocandæ, pœnis à iure statutis, interesse debent, tempore, quo eis ab Episcopo per indictionis literas præscribetur, accedant. Trid. sess. 24. c. 2. de refor.

Deq; illorum vita, moribus, & ecclesiarum administratione ita sint instructi, ut diligentem Episcopo rationem de his omnibus reddere possint.

QVOD ad Missas singulis quintis ferijs, & processiones tam in Diœcesanæ, quàm Prouincialis Synodi indictione celebrandas pertinet; idem ipsi in suis regionibus faciendum curent, quod ab Archipresbytero in Vrbe fieri iussimus. Const. de eccl. Cath. tit. de Archipresb. § cum Diœcesana, & §. Prouinciali.

CVM PAROCHVM suæ regionis aliquem ægrotare acceperit, suam curam præcipuã esse cognoscat & illũ inui-

inuisere ægrotantem; & si uita excedat, eius funus prosequi; eiusq; bona conseruare, ut in eadem de ecclesijs Constitutione iubemus.

Const. de eccl. §. Cũ ex.

Qui illud etiam curabit, ut populo preces indicantur, tam pro defuncti Parochi anima, quàm pro futuri successione fundendæ.

Ecclesiæ verò vacanti aliquem interim suæ regionis Sacerdotem idoneũ substituat, dum ipse Episcopum de defuncti morte certiorem facit; dumq; per dies decem, Edicto publicè proposito, ut ex Concilij Tridentini, & Prouincialis decreto fieri solet, expectantur ad examen ij, qui ad parochialis ecclesiæ gubernationem suscipiendam se se offerunt, & vnus aliquis ex eorum numero maximè idoneus ab Episcopo eligitur, ecclesiæ illi præficiendus.

Trid. sess. 24. c. 18. & Med. 1. part. 2. tit. de Edict. propon.

IN CASVVM *reseruatorũ absolutione, & in concedenda pœnitenti ea facultate, ut alteri, quàm proprio Parocho, confiteatur, eam rationem Vicarij foranei seruent, quam in Constitutione de Pœnitentia præscripsimus.*

Const. de pœnit. §. Hęc uero. & §. Si horum.

POTESTATEM, *quam illis concedimus, sola rei veritate perspecta, eas causas dirimendi, quæ inter Cle-*

Clericos, vel inter Laicum, & Clericum, quinq; librarum Brixiensium summam non excedunt, ex Constitutione de Foro iudiciali cognoscant. Const. de Iud. fo. §. Vt autem.

CVM Edictum de sacris ordinibus conferendis statis temporibus in suis regionibus Parochis, vt alibi iussimus, auctoritate nostra euulgandum tradiderint; in eam ipsi præcipuè curam incumbant, vt quæ inquisitione diligenti de Clericorum vita, & moribus cognouerint, per secretas literas Episcopo quamprimum, & fideliter significent. Const. de Sacr. Ord. §. Cum Ordinis.

RELIQVAS muneris sui partes ex ijs præscriptionibus petant, quas lingua vulgari scriptas à nobis acceperint.

DE REGVLARIBVS.

CVM REGVLARES in vineam Domini idcirco vocati sint, vt in ea excolenda pro suorum ordinum instituta regula, omni charitatis officio operam suam, & auxilium præstent; eos in Domino vehementer hortamur, vt quæ sancita sunt à sacra Tridentina Synodo, cuius decreta à sanctis-

simo

Bul. Gregor. XIII. 13.cal.mar. 1572.

ſimo Domino noſtro Gregorio XIII. ipſi omnino ſeruare iubentur, ea quoq; in hac noſtra Diœceſi ſtudioſè ſeruent.

Tri. ſeſſ. 5. cap. 1. de Ref.

ILLVD in primis Regularium ſuperiores curent, vt in ſuis Monaſterijs, vbi commodè id fieri poteſt, idoneos Magiſtros habeant, qui ſacram ſcripturam interpretentur. Ita enim fiet, vt qui in Monaſterijs commorantur, grauiſsimis, ſanctiſsimisq; Doctorum diſciplinis incumbentes, & ad diuinarum rerum meditationem inflammentur, & ad quæcunq; eccleſiaſtica munera obeunda idonei reddantur.

Quam lectionem Monachorum Abbates in ſuis etiam Cœnobijs habere debent; compellendi alioquin, niſi id fecerint, ab Epiſcopo, ex Concilij eiuſdem decreto.

Trid. ibid.

QVONIAM Regularibus in Eccleſijs, quæ ſui ordinis non ſunt, abſq; Epiſcopi conceſsione, in ſuis uerò abſq; ſuperiorum ſuorum facultate, & Epiſcopi ipſius benedictione, vt eſt à Trid. Concilio ſancitum, prædicandi munus obire minimè licet, idcirco eorum ſuperiores in Domino rogamus, vt ad huiuſmodi officium eos tantum nobis proponant, quos probi mores,

Tri. ſeſſ. 5. c. 2. de ref.

vitæq;

vitaeq; sanctitas commendet; ne cum eorum aliquis, cuius mores cogniti saepe non sunt, examinatus à nobis, & probatus doctrinae nomine fuerit, ab alijs ob vitae prauitatem minimè dignus habeatur.

IN HOC autem concionandi munere praestando ea omnia sequi studeant, quae concionatoribus ad fideles in uia Domini instituendos nostra de Praedicatione Constitutione proposuimus. Const. de Praed. §. Crebris.

Si quis verò illorum inter cōcionandum, errores, aut scandala in audientium animis seminarit; vbicunque id contigerit, eiusdem Episcopi auctoritate à praedicandi officio amouebitur. Trid. sess. 5. cap. 2. de Ref.

Quare quicunque aliquid contra frequentem sacratissimae Eucharistiae perceptionem, grauissimis Patrum sententijs summopere commendatam, directè, vel indirectè dixerit, eadem etiam poena, tanquam scandalorum disseminator, plectetur.

AD CONFESSIONES audiendas, vel ad alia perficienda, quae ad animarum curam pertinent, nullus, quamuis à suis superioribus delectus, nisi ab Episcopo erit probatus, accedere audeat. Sciantq; alioquin, Tri. sess. 23 c. 15. de refor.

præter mortalem culpam, quam ex ea temeritate suscipiunt, eas confeßiones, quas audierint, irritas, ac nullas esse.

Quicunq; verò ad tantum ministerium recepti erunt, omnia, quæ Constitutione de Pœnitentia seruari edicimus, vt ipsi quoq; studiosè seruent, magnopere hortamur.

Medio. 3. tit. de ijs, q̃ ad Sacr. Pœn. pert. §. Ne confessarij. 2.

SCIANT *præterea, ex sanctæ Sedis Apostolicæ declaratione, nemini ipsorum ab illis casibus, quos Episcopus sibi reseruarit, cuiusuis priuilegij auctoritate absoluere licere. Quare casus illos cognoscere studeant, et in Sacristia publicè exponant.*

Tri. sess. 25 cap. 12. de Regul.

CVM EX *Concilij Tridentini decreto, censuras, & interdicta, etiam ea, quæ ab Episcopo emanarint, enunciare Regulares Episcopi iussu debeant; idcirco quoties intra annum Edicta nostra, censuras huiusmodi continentia, illis tradentur, nostro nomine promulganda, ea siue inter concionandum, siue inter Missarum solemnia populo suis temporibus promulgent.*

Tri. sess. 25 c. 11. de Regul.

QVICVNQVE *Regularium in aliqua ecclesia cũ animarum cura suis Monasterijs coniuncta, huic mu-*

muneri à suis superioribus præficientur, ad quod non nisi cum Episcopi consensu, ac præuio examine, eis accedere licet; Constitutiones nostras ad curam illam pertinentes, omni diligentia seruent. Atq; in primis Pij V. Pontif. Constitutionem, in qua numerus definitur Regularium curam animarum administrantium in ijs beneficijs, quæ vnionis nomine ipsis attributa sunt; in qua item certa ratio præscribitur Vicarios perpetuos, si ita Episcopo expedire uidebitur, in huiusmodi parochialibus ecclesijs constituendi, iuxta Concilij Tridentini decretum.

Bul. Pij. v. Calen. Nouëb. 1567.

Trid. sess. 7. c. 7. de Refor.

Q*VONIAM Regularium Monasteria, & domus, quibus eadem animarum cura iniuncta est; in ijs, quæ ad curam ipsam, sacramentorumq; administrationem pertinent, Episcopi iurisdictioni, visitationi, & correctioni, vt est Tridentini Concilij decretum, subsunt; exceptis ijs, quæ ab eodem concilio excipiuntur, idcirco Regulares huiusmodi monemus, vt nihil eorum in suis ecclesijs prætermittant, quæ de his muneribus parochialibus obeundis, & de ecclesiæ ornamentis comparandis à nobis in his Constitutionibus præscripta sunt.*

Tri. sess. 25 cap. 11. de Regul.

Si verò horum aliquid ab illis fuerit prætermissum, sciant ecclesiæ illius fructuum sequestrationem ab Episcopo esse faciendam, vt rebus parochiali curæ, & ornatui necessarijs prouideatur.

Bul. Pij. v. Cal. n. No uem. 1567.

SIT VERO *superiorum ea cura, vt in parochialibus ecclesijs, suis Monasterijs annexis, diebus Dominicis, alijsq; ecclesiæ præcepto seruandis, verbum Dei populo prædicetur. Aliàs eiusdem Concilij iussu, ab Episcopo cum detractione fructuum pro mercede alteri danda, qui hoc officium præstet, prouidendum sciant.*

Tri. sess. 5. c. 2. de ref. & Med. 3. tit. de Parochis. §. Tridētini, &c.

Illud item studiosè curent, ut alia ad animiarum curam spectantia peragantur; scientes, huic tāto oneri non eo se fecisse satis, quòd fidelibus sacramenta tantum ministranda alicui demandarint; nisi & reliqua pietatis, & curæ officia, quæ nostris constitutionibus proposuimus, præstanda studeant.

Tri. sess. 24 cap. 4. de reform.

Si in aliqua præterea eorum ecclesia Quadragesimali tempore sacra concio quotidie haberi consueuit, hoc ipsi quotannis, vt uel suis, vel aliorum, si id ad alios pertinet, expensis fiat, omnino videant.

QVAE *in Missæ sacro faciendo secularibus sacerdotibus*

tibus Cōstitutione de Missarum celebratione, seruanda præcipimus, eadem quoque vt ipsi Regulares pro tāti ministerij dignitate seruēt, uehemēter hortamur.

In priuatis verò ædibus, vbi oratoria ab Episcopo probata non sunt, ipsiusq́ facultatem ibi celebrādi non obtinuerint, nullo modo celebrent. Tri.sess.22 decre. de Obser. in Missa.

Et quod de peregrinis Sacerdotibus ad celebrandum sine Episcopi facultate non recipiendis, in eadem Constitutione iussimus, id sibi omnino, ex eodem Concilio, seruandum esse intelligant. Const. de celeb. Miss. §. Si Sacer. Tri. sess. 23 cap. 16. de Refor.

S*I QVAE Monasteria intra fines alicuius Parochiæ extra Ciuitatem posita, duos tantum, vel tres Sacerdotes habeant; id eos enixe in Domino hortamur, quod & alijs secularibus Sacerdotibus in vniuersum præcipimus, vt ipsorum aliquis Missæ sacrum diebus festis non prius faciat, quàm Parochus sermonem, quem ex Tridentini Concilij decreto habere ad populum diebus illis debet, absoluerit; ne dum fideles eo tempore illis Missæ sacrum facientibus intersunt, ab earum rerum intelligentia diuertantur, quas à Parocho audire eodem Concilio iubentur.* Const. de celeb. Miss. §. Dominicis. Trid. sess. 5 c. 2. & Sess. 24. ca. 4. de ref.

Q*VAECVNQVE scripta, tū alia, tū problemata, quæ pu-* Index. Tridē. Reg. x.

publicè disputanda exponi solent; ea ab ijs nullo modo vel in publicum exponantur, vel typis mandentur; nisi Episcopi, & Inquisitoris examine, atq; subscriptione probata fuerint.

QVEMADMODVM Secularis Clericus sacris ordinibus initiandus non est, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, aut patrimonium, aut pensionem non habeat, quæ satis sit ad vitæ suæ sustentationem, ne aliquando cum suscepti ordinis indignitate mendicare cogatur; ita Regularis Clericus ex Pij V. Pont. Constitutione ad sacros ordines suscipiendos non accedat, nisi præter ætatis legitimam fidem, literas sui superioris ostenderit, quibus se religionis, cui adscriptus est, professionem fecisse testetur.

Med. secũdum. tit. 1. decr. 23. Quam etiam scripto manu sua subsignato coram Episcopo sponte ratam se habere iuratus affirmet.

Attestationem Cancellarius in eum librum referat, qui promotiones ad ordines continet.

Neq; ab hac professionis obligatione excipiantur, nisi qui speciali sanctæ Sedis Apostolicæ priuilegio hac in re gaudent.

QVAE de ecclesiarum disciplina, ac reuerentia; de lasci-

lasciuis concentibus, ac sonis ab organo, & choro arcendis; de vanis, ac profanis colloquijs; deambulationibus, strepitu, clamore cohibendis in Concilio Tridentino sancita sunt, seruanda sibi omnino meminerint. Tri. sess. 22 decret. de Obser. &c.

Quæ vero hac ipsa de re & nos peculiariter nostra de ecclesijs Constitutione ecclesiarum omnibus Rectoribus præcipimus, de ecclesiæ foribus noctu, alijsq; intempestiuis horis claudendis, de importuna mendicantium inter diuina officia celebranda per ecclesiam vagatione, deq; id genus alijs, ea ab ipsis eò magis seruari optamus, quò magis ad religiosorum hominum institutum hæc cura pertinere videtur.

QVIA *Mulierum in Regularium Monasteria ingressus sine aliorũ graui offensione contingere uix potest, & Pij V. Pont. sanctione priuilegia Pontificia, quæ hac in re plerisq; mulieribus concessa erant, reuocata penitus sunt, excommunicatione etiam latæ sententiæ illis proposita, si dicta Monasteria ingredi audeant; idcirco tam Regularium Superiores, quàm Regulares ceteri ne vel scandali huius participes efficiantur, vel pœnas etiam subeant eadem* Bul. Pij. v. 24. Oct. 1566.

Con-

Constitutione comprehensas, priuationis scilicet ab officio, ac suspensionis à Diuinis, quodcunque mulierum genus à Monasteriorum suorum ingressu omnino arceant.

Tri.sess.25 cap.13. de Regul.

AD PVBLICAS *Processiones, cuiuscunq; ordinis Regulares vocati, etiam exempti, ijs tantum exceptis, qui in arctiori clausura perpetuò viuunt, non solum in Vrbe, sed etiam in Diœcesi, vbi Monasteria habent, semper accedant.*

Atque in ijs eum locum teneant, quem tenere consueuerunt.

In funeribus autem prosequendis, & exequijs celebrandis eum ordinem seruent, quem nostra de funeribus Constitutione præscripsimus.

Const. de Funerib.& exeq.§.Cõtrouersias. cum seq.

Quòd si alia in posterum controuersia inter illos, vel etiam inter alios Clericos oriatur, eam eorundem conciliorum iussu, ad Episcopum illius dirimendæ causa deferant.

DIOECESANAE *Synodo quotannis ab Episcopo conuocandæ, Monasteriorum Præfectos hortamur, vt vnà cum ceteris nostræ Diœcesis Clericis lubenti, pioq; animo præsentes adsint.*

Qui

Qui verò ecclesias suis Monasterijs cum animarum cura adiunctas habent, ipsi vnà cũ ijs, quibus præcipuè curã illam demãdarint, omnino intersint.

CVM Sanctissimi Domini nostri Gregorij xiij. Constitutione omnibus Regularium ordinibus iussum sit, ut vbicunque eorum Monasteria reperiuntur, ibi Conseruatorem sibi deligant, earum causarum cognitorem, quæ aduersus ipsos cum ab alijs, tum maximè à miserabilibus personis controuertuntur; idcirco quemlibet Monasteriorum Præfectum monemus, vt suum quisq; Conseruatorem semper habeat; eiusq; nomen, vt ab eodem Pontifice iubetur, in Episcopali curia describi faciat.

Alioquin Episcopus, tanquàm Sedis Apostolicæ delegatus, personarum huiusmodi miserabilium causas, quibus in casibus à Concilio Tridentino sibi concessum est, cognoscet, atq; definiet. Trid. sess. 7. cap. 14. de Ref.

REGVLARES, quorum fidei sacræ Virgines commissæ sunt, sedulò curent, vt quæ sequenti Constitutione sacrorum Conciliorum, sanctæq; sedis Apostolicæ auctoritate à reliquis sacris Virginibus seruari constituimus; illæ quoque, quibus ipsi

præsunt, omnino seruent.

CVIVSQVE *ordinis Regularium superiores cum ab Episcopo moniti, aliquem è suis Regularibus intra claustra degentibus, extra illa, cum populi scandalo notoriè deliquisse cognouerint; eos debita pœna, intra tempus ab eodem Episcopo præfigendum, afficiant.*

Tri. sess. 25 c. 14 de Regul.

Atq; de ea sumpta eum certiorem faciant.

Alioquin eo spatio transacto Episcopus eam, vt Tridentini est Concilij decretum, exiget.

Trid. ses. 6. c. 3. de Refor.

QVICVNQVE *Regularium, aliqua etiam honesta causa, & cum superiorum suorum facultate, non tamen sub eorum obedientia, vitam extra Monasteria degunt, si quid religioso homine minus dignum commiserint; sciant, se ab Episcopo, tanquam à sedis Apostolicæ delegato, puniendos esse.*

Trid. sess. 25. ca. 4. de Regul.

Qui verò extra Monasteria recedentes, prætextu etiam superiores suos adeundi, absq; eorum scripto mandato reperti erunt, tanquam sui instituti desertores plectentur.

Ac multò magis ij, qui religionis habitum deseruisse cognoscentur.

Quibus omnibus in virtute sanctæ obedientiæ

præcipimus, vt qui nunc intra Diœcesis nostræ fines hac ratione viuunt, post secundum statim ab harũ constitutionum promulgatione mensem, uel Monasterij relicti, vel habitus depositi causas apud Episcopum ostendant.

Si'q in futurum aliquis hanc facultatem vel à Pontifice, vel à suæ Religionis superiore extra Monasterium, seu etiam sub alio habitu manendi obtinuerit; hanc secundo statim, post ingressum in Diœcesim mense, Episcopo ipsi eadem ratione ostendat. Alioquin agetur contra eum ijs pœnis, quæ aduersus apostatas iure decretæ sunt.

SI QVIS Religionis suæ habitum deponendi eam causam prætexerit, vel quia per uim, aut metum, vel ante debitam ætatem, vel aliam ob causam eã se ingressum dicat; non audiatur, nisi in ipso quinquennio, ex quo is solemnibus votis nuncupatis professione se religiose astrinxerit. Tuncq́ causas, quibus egredi sibi licite existimarit, coram Episcopo, & suo superiore deducat. Tri. sess. 25 cap. 19. de Regul.

Quòd si sponte habitum ante dimiserit, ad Monasteriũ redire cogatur, ac tanquã apostata puniatur.

Tri. sess. 25 cap. 3. de Regul.

NOVA Monasteria siue virorum, siue mulierum, nemini absq; Episcopi concessu intra Diœcesis fines construere liceat.

Tri. sess. 25 cap. 8. de Regul.

SI QVAE praeterea Monasteria nec generalibus capitulis subsunt, nec Visitatores ordinarios habent, nec in congregationes ad eam rationem, quae Concilio Tridentino praescripta est, conuenerint, Episcopo item eadem Concilij auctoritate subesse intelligantur.

AB OMNIBVS Monasteriorum Praefectis illud uehemēter in Domino cōtendimus, ut vno quoq; anno prima Octobris, ac Martij mensis hebdomada hanc nostram de Regularibus Cōstitutionem, & eas, quas de ecclesijs, ac Pœnitentia confecimus, omnibus in suis Monasterijs degentibus, in Capitulum conuocatis perlegant. Omniq; pietatis studio efficiant, vt quae ijsdem constitutionibus, ad Diuini cultus incrementum, & fidelium salutem seruari iubemus, ab illis seruentur diligentissime.

DE

DE MONIALIBVS.

SACRAS Virgines, quæ ut vitam à secularium consuetudine semotam religiosè traducant, in Monasteria se se perpetuò receperunt, enixè Apostoli auctoritate monemus, ut semper cogitent, quæ Domini sunt; eiq; diligenter ea vota reddant, quibus pro suæ regulæ institutis se sanctè obstrinxerunt. Quare sacri Tridentini Concilij decretis, apostolicarumq; Constitutionum auctoritate hæc ab illis seruari decernimus. 1. Cor 7.

OMNES in primis communiter viuant, & nihil proprium habeant, nihil'ue priuatim, aut separatim possideant. Tri.sess.25 cap. 2. de Regul.

Quamobrem eleemosynæ, laborum pretia, munera, fructusq; illi, quos liuellos appellant, legata, & quæcunq; alia bona, quæ testamento, siue donatione, siue quauis alia causa, in alicuius ipsarum virginum manus deuenerint, in communem Monasterij utilitatem conferantur.

Præfecta vero pro sua prudentia, et ea charitate, quam curæ suæ commissis debet, nihil illis deesse patiatur,

tiatur, quarum nomine ea bona ad Monasteria peruenerunt.

D*ILIGENTIAM Præfecta adhibeat, vt omnes die, noctuq; præscriptis horis chorum frequentent; sacrisq; officijs distinctè, pieq; celebrandis, quibuscunq; sublatis colloquijs, intersint; ijs tantum exceptis, quas Præfecta legitimo impedimento excusandas duxerit.*

Officijs autem absolutis, è choro non ante discedant, quàm ab ea dimittantur.

Q*VOTIDIE mane, ac vesperi in mensa aliquem spiritualem librum vulgari lingua conscriptum, ac Superioris, vel Confeßarij iudicio probatum; ceteris discumbentibus, attenteq; audientibus, legendum curet.*

Singulis verò diebus Dominicis, alijsq; solemnibus festis, præter eam lectionem, aliquam etiam Regulæ partem eis, hora à Prandio constituta, in capitulum congregatis recitari iubeat. Cumq; ad illius finem peruentum erit, eadem vt à principio repetatur, efficiat; ut ad illius obseruationē omniū mētibus recens memoria frequenti repetitione hæreat.

EIVS

Eivs etiam curæ ſit, vt ſpirituales libri, quorum lectione Moniales ad excitandam animi pietatem priuatim vti debent, Superioris, vel Confeſſarij iudicio ſint probati; ne aliquando inanium librorum lectione à pietate auertantur.

Monialivm Superiores omni pietatis ſtudio in id incumbant, vt omnes ſemel ſaltem in menſe peccata ſua confiteantur, ſacram Communionem percipiant, & ſalutari aliqua concione ad pietatem colendam excitentur. Tri. ſeſſ. 25 cap 10. de Regul.

Quibus muneribus obeundis eos tantum præficiant, qui matura ætate, doctrina, morumq; integritate laudabiliter ea explere poſsint.

Inſuper bis, aut ter in anno, præter proprium Confeſſarium, Sacerdotem alium illis offerant, qui ipſarum confeſsiones audiat.

Iis autem diebus, quibus ſacram Euchariſtiam ſument, atq; ijs horis, quibus in choro diuinis officijs, & orationibus vacare debent, nullo modo ad collocutionum feneſtellas accedant; niſi cum aliquando iuſta, vel neceſſaria cauſa, Præfectæ iudicio, aliter poſtulet.

Con-

CONFESSIONES Monialium ne Sacerdos vllus, etiam Regularis, audiat, qui à Superiore propositus, & ad id munus probatus non sit.

Confeßiones autem loco tantùm extra Monasterij septa constituto audiat.

Quæ non alia causa, nisi ob sacramenta in graui morbo ministranda, ei ingredi liceat.

Cum verò ingredietur, admoneantur Moniales campanæ signo, vt se se recipiant; nec ipse, dum intus erit, sit sine comitatu duarum, vel trium Monialium, quæ ceteris sint ætate prouectiores.

Noctu autem nunquam ibi remaneat, ne in ijs quidem ædibus, quas Forasterias vocant; nisi cum alicui Moniali mors instaret, vel alia grauis causa vrgeret; vt præsto esse poßit necessarijs illis muneribus obeundis.

NVLLA Monasterij Præfecta in posterum quacunque ex causa Sacerdotem aliquem in sua ecclesia Missæ sacrum faciendi munus suscipere permittat, qui nominatim in eadem ecclesia hanc celebrandi facultatem ab Episcopo sibi concessam non ostenderit; nisi is sit Regularis, & à suo superiore, & ei

monasterio addictus, in quod eiusdem ordinis Regulares potestatem habent.

IN QVIBVS Monialium ecclesijs sanctißimum Christi Corpus seruari solet, illud in Altari maiori extra Monasterij septa, vt à Tridentino Concilio sancitum est, locetur. Tri. sess. 25 cap. 10. de Regul.

PRAEFECTA Monialem ne cum aliquo viro colloqui permittat; nisi vel pater, vel frater sit, vel is, qui legitimam colloquendi scriptam concessionem attulerit. Quam præfecta ipsa perlegat, antequam Monialis, quæ in ea concessione descripta est, in colloquium veniat. Med. primū part. 3. de Claus.

His autem colloquijs, nisi cum parentibus illa, aut fratribus habeantur, vna aliqua ex ijs Monialibus, quæ sermonibus audiendis præpositæ sunt, semper intersit.

Quæ verò Monialis alia ratione cum aliquo locuta erit, trium mensium spatio à collocutionum fenestellis arceatur.

MVLIERI autem, nisi mater illa, vel soror est, Monialem loqui non prius permittat, quàm mulieris ipsius nomen ab ijs, quæ ianuæ præpositæ sunt,

 sibi

sibi significatum erit, ne forte contingat, vt mulier, quæ probatis moribus non sit, ad huiusmodi colloquia recipiatur.

Cum autem recepta erit, eadem sermonibus audiendis Præposita curet, vt inter eas loquendi finis breui ponatur; ne tempus inutiliter conteratur.

Mediol. 2. de Monial. cap. 3.

M*VSICAE, vel alterius artis docendæ causa, quouis etiam superiorum consensu, nemini neque viro, etiam si Clericus sit, neq; fœminæ ad Monasterium accedere liceat.*

Medio. 1. ibidem.

N*VLLA Monialis ad aliquem, præterquam ad Monasterij superiorem, si quid erit, quod eum scire oporteat, aut secretò literas mittere, aut ad se missas legere, vel resignare audeat, nisi eas prius Præfecta legerit.*

Sine cuius etiam concessu nec munera mittere, nec accipere possit.

Quæcunque non paruerit, pro ratione contumaciæ grauiter punietur; ac multò etiam grauius, si literæ alicuius criminis suspicionem attulerint.

Mediol. 1. ibidem.

S*I, QVAE Monasteria sunt, in quæ è viciniorum*

ædi-

ædibus, aut fenestris prospectus sit, videant eorum superiores vnà cum Episcopo, vt prospectus hic impediatur.

Si verò vicinæ ædes Regularium erunt; parietes etiam altius, si opus sit, erigi, vel nouos ædificari curent Monasteriorum Curatores cum Episcopo, eorum expensis, ad quos ipsi pertinere iudicarint; omni appellatione remota.

NEMINI cuiusuis sexus, ætatis, conditionis, Monialium septa ingredi liceat; præterquam ijs, quorum opera Monasterio omnino necessaria est. Qui sint moribus, & ætate à superiore probati, & legitimam facultatem, quotannis renouandam, habeant.

In ea concedenda illud superiores diligenter studeant, vt quæ intus officia Moniales per se obire possunt, ad ea præstanda externi viri, vel mulieres nõ introducantur.

Præfecta verò eos, qui introducti illa ratione sunt, non diutius morari intus patiatur, quàm necessitas postulet. Quibus tamen ibi pernoctare omnino prohibitum sit. Medio. 1. ibidem.

Quicunq; alia ratione ingressus est, excommuni-

Tri. sess. 25 c. 5. de Regul.

cationis pœnam è Tridentini Concilij decreto ipso iure subire se sciat.

Monialis verò, quæ aliquem, cuiusuis ætatis sit, introduxerit, siue marem, siue fœminam, quocunque etiam affinitatis gradu sibi coniunctam, pro tanta temeritate, pœna plectetur ea, quæ Prouinciali Concilio decreta est. Quam etiam illæ subibunt, quæ rotæ, ac ianuæ præpositæ sunt; nec non & ipsa Præfecta, si id eius consensu, aut permissu commissum sit.

Medio. 1. part. 3. tit. de Clausura.

Trid. sess. 25. ca. 7. de Regul.

CVM electioni Præfectæ superior statuto tempore interfuerit, Monasterij septa ne ingrediatur; sed ad collocutionis fenestellas maneat, occulta ibi suffragia accepturus.

In qua electione hæc in primis videnda sunt.

Ne aliquam natu minorem annis quadraginta ad id muneris deligi permittat; nisi necessitas aliud exigere sibi videatur.

Vt ex tribus duas saltem suffragiorum partes illa habeat; cum in Vicaria eligenda satis sit dimidiam suffragiorum partem superari.

Vt si Præfecta plures in Monasterio germanas soro-

sorores habeat; illis neq; Vicariæ, neq; lanitricis, neq; Scribæ, aut Cellerariæ officia committantur, nisi ex iusta causa, secus forte superior faciendum iudicarit.

Vt munus hoc minimè ambierit. Cuius ambitus si quam superior ream deprehenderit, grauiter illam puniat.

Quare & Moniales electionis ipsius initi vehementer hortetur, vt in dandis suffragijs, affectu omni deposito, nihil spectent aliud, quàm Dei honorem, suiq; Monasterij vtilitatem.

IDEM *in alijs officijs pro Monasterij institutis, superiore semper præsente distribuendis, seruetur.* Medio. 1. ibidem.

In quibus, quæ minora sunt, vt ianuæ, rotæ, & similia, à superiore, vnà cum Confessario, Præfecta, & Vicaria, ijs tribuantur, quas magis pro sua conscientia idoneas iudicabunt; ita tamen, vt in his officijs administrandis biennium nō excedant, aut ad summum triennium.

Cumq; illis perfunctæ sunt, tantundem saltem temporis ab ijsdem officijs vacent. Nec in eis confirmari poßint; nisi graui causa, à Superiore probanda, secus fieri oportere uideatur. In cuius potestate sit

illas

illas officijs priuare, si ea male administrent.

Mediol. I. ibidem. **M**ONASTERII *ianua ab ea, quæ illius curam gerit, una saltem claue interdiu occludatur, nec unquam absq; Præfectæ concessu aperiatur. Quæ eidē sociam semper aliquam tunc adiungat.*

Noctu verò duabus clauibus obseretur; quarum vnam Præfecta penes se habeat; alteram antiquior Ianitrix teneat.

Ad fenestellas autem, ad quas colloquendum est, ferrei cancelli apponantur, & ad partem parietis interiorem lamina etiam ferrea affigatur, foraminibus suis distincta. Nec ea aliqua in parte aperiatur, nisi cum erit cum Episcopo, vel alijs superioribus, aut cum parentibus, fratribus, alijsq; propinquitate generis coniunctis colloquendum; aut cum instrumentum aliquod confici, uel sacram concionem audire oportuerit.

NULLUM *præterea ostium in Monasterij parietibus extructum sit, quo Monialibus in ecclesiam exteriorem introire liceat, in quam secularibus ad Missas, & Diuina officia patere solet accessus.*

Neque item ex ipsius Monasterij ianua, quæ clau-

clausuræ septa definit, eisdem Monialibus egredi liceat; etiam ad claudendam, uel aperiendam aliam ulteriorem ianuam, qua patere solet aditus secularibus uenientibus vel ad rotam, vel ad crates, seu loca colloquijs constituta. Quæ loca, cum Secularibus patere soleant, iuxta Sanctissimi Domini N. Gregorij. xiij. declarationem, extra clausuram censeri debent.

Bul. Gregor. XIII. 3. cal. Ian. 1572.

V*IRGINIBVS post sacrum habitum sumptum, è Monasterij septis egredi ne liceat, nisi eas nondum professas introisse pæniteat.*

Quæcunq; verò post factam professionem, alia, quàm magni incendij, vel infirmitatis lepræ, vel epidimiæ causa egredi ausa sit, tam ipsa, quàm ei facultatem hanc concedentes, vel comitantes, vel receptantes excommunicationis maioris pænam eo ipso ex Pij. V. Pont. Constitutione subeunt.

Bul. Pij. v. Cal. Febr. 1569.

Egrediendi verò causæ non ab alio, quā ab Episcopo cognoscantur, scriptæq; facultates concedantur.

Monialis autem ipsa apostata vel ad Monasterij claustra redire, uel certè Pænitētium mulierum, quæ vulgo Conuertitæ vocantur, domum ingredi

N coge-

cogetur, vbi dignas criminis sui pœnas luat.

IN QVIBVS *Monasterijs numerus Monialium redituum, solitarum eleemosinarum, & laborum quotidianorum modum non excedit; nullæ inde Moniales, etiam Conuersæ, vt est à sanctissimo Domino N. Gregorio. xiij. sancitum, quæstuandi causa egredi permittantur.*

Bull. Gregor. XIII. 3. cal. Ian. 1572.

Vbi verò ob multitudinem Monialium, & redituum exiguitatem concessa hactenus est facultas aliquas emittendi ad quæstuandum, eæ conditiones seruentur, quæ à sacra Cardinalium congregatione in hoc genere definitæ sunt.

Literæ congre. Card. 4. Id. Feb. 1573.

Vt tamdiu scilicet emitti possint, donec ad eum numerum Moniales redigantur, qui ad præscriptam rationem ali commodè possit.

Vt emittendæ numerum octonarium non excedant.

Vt binæ saltem incedant, nec inter eundum tanto spatio desiungantur, quin altera videre alteram possit.

Vt sint ætatis non minus quadraginta annorum, & uitæ exemplaris.

Vt extra Ciuitatem, vel oppida, in quibus ipsarum Monasteria consistunt, non exeant; nisi Episcopo, & earum Superiori secus visum erit.

Vt extra Monasteria non pernoctent; uel si Episcopi facultate extra ea nonnunquam pernoctabunt, simul omnino dormiant, ceteraq; seruent; quæ eis in concessæ facultatis literis præscribentur.

V*T AVTEM & Monasteriorum sustentationi necessariæ consultius prouideatur; nec opus sit quæstuandi gratia Moniales extra Monasterij septa emittere; illud edicimus, atque sancimus, vt qui Monialium numerus in ijs quoque Monasterijs, quæ Regularium curæ cõmissa sunt, præfixus est à nobis, de eorum consilio, qui illis præsunt, is omnino conseruetur ad Conc. Tridentini præscriptum.* Tri. sess. 25 cap. 3. de Regul.

Si qua uerò supra hunc numerum puella admittenda proponatur, eam admitti non uetamus. Sed ita tamen recipiatur, ut ne, quod est in Concil. Trid. sancitum, illius accessione auctus numerus redituum facultatem unquam excedat, ea videlicet puellæ nomine dote constituta, ex qua fructus annui ad illius sustentationem sufficientes percipiantur.

Quamuis ab ijs, quæ in Conuersarum numerum recipiuntur dos poterit etiam minor exigi, quòd earum labores, & seruitia quotidiana dotis partem compensare satis videantur.

Interim quæ numerum præfixum superare reperiuntur, tandiu tolerentur; & communibus expensis vtcunque alantur, donec certus ille, & constitutus Monialium numerus relinquatur.

Quem numerum si in aliquibus forte Monasterijs prouetus annui aliquando excedent; cogitent Dei famulæ, non esse eos sibi ad inanes, & superfluas copias comparandos, sed Christi patrimonium Christi pauperibus deberi. Quare Moniales, si quæ sunt in hoc genere, vehementer hortamur, atque monemus, vt memores præceptorum domini, cum alijs egentibus, tum illis præcipuè puellis facultates eas esse impertiendas intelligant, quæ cum non integram, aut fortè etiam nullam dotem conferre Monasterio possint, fidele tamen seruiendi Deo propositum gerere videntur.

Med. 1. ibi. part. 3. tit. de Monial. num.

MONASTERIA, *quæ duodecim saltem Moniales professas non habent, nec ea, qua diximus, ratione alere*

alere se possunt; alteri eiusdem, vel diuersi etiam ordinis Monasterio, de Episcopi cōsilio, superiores uniāt.

Vel si vnire non expedit, eum Monialium numerum, nullis alijs nouitijs receptis, interire sinant.

SI QVAE extra mænia vrbis, vel oppidi constituta Monasteria, sine honestatis periculo ibi relinqui non posse videbuntur, Superiorum cura sit vnà cum Episcopo; vt eorum Monasteriorum Moniales ad antiqua, vel noua Monasteria, intra vrbem, uel frequentia oppida, si ita expedire uidebitur, reducantur. Trid. sess. 25. c. 5. de Regul.

MONASTERII Præfecta, cum de puella capituli suffragijs recipienda secum agetur, ne prius de ea re apud Capitulum referat, quàm Episcopi, uel alterius Superioris, si sit Monasteriū Regularibus subiectum, consensus ad id accesserit.

Neq; adeo à Capitulo admittenda, aut Episcopo, aut Superiori cuicunq; puella proponatur; nisi post annum, quo suum religionis suscipiendæ propositum Monialibus, & Præfectæ aperuerit; ac frequenti cum Monialibus habito sermone; ipsa quidem Monasterij labores, & instituta; Moniales verò ipsius animum, ac voluntatem exploratius cognoue-

rint; nisi hæc diuturnioris temporis mora, ex causa aliqua, contrahenda Superiori, aut protrahēda etiam uideatur.

Quo ipso temporis spatio Monialium confessarius illius confeßionem frequenter audiat, sacram Eucharistiam ei ministret, ac de religionis uotis, ipsiusq; Monasterij laboribus accuratè instruat; ne ullo unquam tempore conqueri, vel ignorantiæ nomine se excusare poßit.

Neq; verò tunc recipiatur, nisi duas saltem tertias suffragiorū partes illa obtinuerit. Quòd si semel, iterum, & tertio proposita, suffragiorum illum numerum non fuerit consecuta, amplius recipienda ne proponatur, sine Episcopi facultate.

